MARIÆ
SCOTOR
REGINÆ

POST LITES VNIO

DE TITVLO ET IVRE SERENISSIMÆ PRINCIPIS MARIÆ SCOTORUM Reginæ, quo Regni Angliæ ſucceſsionem ſibi iuſtè vendicat, LIBELLVS:

Simul & Regum Angliȩ à Gulielmo Duce Normandiȩ, qui Conqueſtor dictus eſt, genealogiam & ſucceſsionis ſeriem in tabula deſcriptam: Competitorum quoque à Lancaſtrenſi & Eboracenſi familijs deſcendentium hiſtoriam ſummatim complectens.

Opera Io. Leſlæi Epiſcopi Roſſenſis Scoti, dum pro eadem Sereniſsima Principe iampridem in Anglia Oratorem ageret, patrio primùm, nunc verò Latino ſermone in lucem editus.

Acceſsit ad Anglos & Scotos, vt qui temporis bellorúmque iniuria iam diu diſtracti fuerunt, tandem aliquando animis conſentiant, & perpetua amicitia in vnum coaleſcant, PARAENESIS.

Poſt varias cædes, vnita Britannia tandem
Florebit, pace & religione pia.

RHEMIS,
Excudebat Ioannes Fognæus, ſub Leone.
1580.
CVM PRIVILEGIO.



PACALIS OLIVA

PACALIS OLIVA

SACRATISSIMO ET INVICTISSIMO IMPERATORI, RADOLPHO, SERENISSIMIS REGIBVS AC PRINCIPIBVS Christianis,

Ioan. Leſlæus Epiſcopus Roſſenſis Scotus, pacem & perpetuam felicitatem.

SI OMNES Rerumpub. formas (Sacratiſſime & inuictiſſime Imperator, Sereniſſimi & potentiſſimi Reges, & Principes Chriſtiani) quibus varij populi quondam, ſiue Chriſti legibus eruditi, ſiue profanis ſuperſtitionibus dediti, continebantur, præſenti recordatione velimus obire: nulla planè vel ad quietem firmior, vel ad gloriam Imperijque maieſtatem illuſtrior reperietur, quàm ea, quæ in eius Principis tutela ac moderatione verteretur, qui quòd hæres eſſet, iure ſuccederet, quòd iuſtus ac legitimus, incorruptè ſuauitérque iudicaret. Nam vt taceam in hac forma ſpeciem quandam illius adminiſtrationis, qua Deus vniuerſa moderatur, elucere, ideóque illam optimam eſſe: vt taceam exterorum Principum fœdera, coniugia, mutuáque beneuolentiæ pacta in hac contineri, ideóque illam ſalutarem eſſe: vt taceam denique pacem, quietem, tranquillitatem totius Reip. in hac includi, ideóque illam iucundam eſſe: id clariùs intueri licebit aliquantò, ſi circunſpiciatis animo diligenter, quas tum iniurias ac calamitates cogatur ferre populus, cùm Tyrannus non auito iure Regni, ſed iniqua impulſus ambitione per vim in aliena iura ac ſedes inuadit. Is enim dum ſubditos continuo metu oppreſſos iniquis exactionibus vexat, iniquioribus mulctat cædibus, & vt ſolus regnet, humana iura ac diuina conculcat: dum denique ipſe in ſubditos crudelitate furit, in ipſum ſubditi odio pluſquàm vatiniano conflagrant, quæ mala ex tam deſperato capite tanquam diſſidentibus membris in illam Remp. non erumpunt? Ex quo, meo quidem iudicio, videtur conſectarium, vt amor Regum in

ſubditos, ſubditorum in ipſos firmiſſimum Reip. continendæ ac conſeruandæ ſit vinculum: vt quod regnum illo non coaleſcit, vel domeſticis perturbationibus diſſipari, vel in externorum dominatum diſtrahi ſit neceſſe. Itaque omnes omnium ſeculorum gentes memoria repetenti mihi nulla occurrit, quæ huius mutui amoris officijs in ſummam felicitatem non fuerit adducta: nulla quæ ipſius contrario tanquam morbo aut telo aliquo vel non miſerrimè languerit, vel in extremam ruinam deuoluta omnino non conciderit. Nec verò quæ eiuſmodi fuerunt Reſp. ſua tantùm mala ſenſerunt, ſed etiam in vicinas tranſmiſerunt: vt intelligant Chriſtiani orbis Principes, qui ſua regna diuturna appetunt, ita ſibi eſſe regnandum, vt non ſolùm ab omni tyrannico animo in ſubditos abſtineant, ſed etiam ne vicini populi tyrannis opprimantur, quantùm poſſunt, prouideant. Nec enim iſta vicinia periculoſa eſſe non poteſt, quòd tyrannorum ea natura ſit, vt cùm domeſticos perdiderint, in alienos etiam velint erumpere, eadémque ſi poſſint, ruina ſepelire. Quæ quidem eo animo dico, vt omnes Chriſtiani principes in eam curam pro ſuo & iure, & charitate incumbāt, ne Sereniſſima Scotorum Regina Maria, eiúſque filius optimæ ſpei Princeps, iure, quo extincta Henrici VIII. ſobole, in Angliæ ſucceſſionem habent hæreditarium, excludantur. Id eſt, ne Angliæ Regnum longè florentiſſimum, excluſo vero hærede, tyranni cuiuſuis iniuſtæ occupationi, incurſionibus, aut iniurijs pateat. Nam cùm perſpicuum ſit, omnia commoda, diuitias, ac bona illa, quorum Anglia non ſolùm ſibi, ſed etiam exteris populis ferax fuit, inde manaſſe, quòd à iuſtis hactenus hæredibus iucundè cum Regum laude, ac pacatè cum ſubditorum commodo adminiſtrata fuerit: atque id quoque conſtet Regnum Angliæ, ſublatis, vti diximus, Henrici VIII. liberis, iure ſanguinis, Mariæ Scotorum Reginæ deberi: quis non videt futurum, vt Maria Regno Anglicano excluſa, illud quoque Regnum non ſolùm his omnibus bonis ſpolietur, vicini populi priſtinis commodis careant, ſed etiam tyrannorum ſit domicilium, vnde tum domeſtici ſuis, tum externi alienis cladibus conficiantur? Sed quoniam mali competitores regnandi cupiditate incenſi, ambitioni ſuæ cauſam prętexunt, vnde Anglicani regni diadema iure videantur ambire, putaui mearum eſſe partium, vt horum cauſis infirmatis, Reginæ meæ ius ac titulum, rationum certiſſimis momentis aſtruam ac confirmem. Ita namque ſpero fore, vt Chriſtiani principes, quod humanitatis & charitatis officium omnibus Regibus debent, libentiùs & promptiùs præſtent in Reginæ meæ cauſa, ſi eam viderint ita explicatam, vt de eius veritate, integritate, iuſtitia, nullus in cuiuſquam animo ſcrupulus poſſit hærere. Nam cùm omnes Reges communi

quodam vinculo teneantur, vt se velint mutuis consilijs & auxilijs iuuare, quia Reges sunt, tum singuli certa aliqua Religione Reginæ Scotiæ astringuntur, vt debeant illius partes suscipere, ac hostium conatibus obsistere. Atque vt commune hoc omnium Principum vinculum taceam, Pontificem Max. sanè præterire non possum, quem tanquam alterum Samuëlem satis constat, nolle oleo sancto, id est, authoritate sua alios quàm Saules & Dauides, qui omnium legitimorum Regum personas repræsentabant, confirmare. Nam præter certum illud successionis ius, quod diuinæ vocationis & electionis loco habetur, id in primis illum debet mouere, vt hanc defendat tanquam filiam, quæ nec vllius carceris angustia, nec pœnæ genere potuit abduci, quò minùs eum colat semper vt patrem. De sacratissimo Imperatore reliquísque Principibus, quid singulos commemorem? cùm omnes Reginæ Mariæ vel fœderis certissimo, vel sanguinis arctissimo vinculo fuerint coniuncti. Neque verò necesse est, vt id genealogijs, & stemmatibus propositis ostendam, cùm planè omnibus constet, illam ex Principibus, Regibus, Imperatoribus totius orbis terrarum maximis, patris ac matris, maiorumque serie longissimè repetita, ortum ducere. Angliæ etiam nobilitatem populumque id impellere debet in studium eius, quòd tam multiplici arctaque cognatione ex Anglorum sanguine fluxerit, ac Proauiã ex Regia Somerseti familia, proximeque Auiam habuerit Margaretam Henrici septimi filiam. Quid quòd naturali quodam cognationis sensu in Anglos propensa fuerit, vt domesticis perturbationibus afflicta, ab ipsis maluerit auxilium sperare, & sese illius, quæ nunc Angliæ clauum tenet, promissis committens, in Anglorum quàm in reliquorum vicinorum Principum, à quibus pro turbati Regni remedio erat opem impetratura, emigrare regiones? Quid quòd Anglum in lecti coniugalis societatem, postpositis reliquis Christiani orbis Principibus, asciuerit? Ex eóque, Regno principem ac hæredem fœlici partu ediderit? Quid quòd in Anglia iam potentiæ, fortitudinis, pietatis signa edat: in Anglos omnia humanitatis, beneuolentiæ, charitatis genera ostendat: de Anglis sentiat amicissimè, loquatur honorificè, scribat magnificè? Quid quòd ipsorum Anglorum mores, linguam, consuetudines, longo iam vitæ commercio, ita imbiberit, vt reliquorum mores oblita ad Anglos imperio iustè continendos nata esse videatur? Quare cùm Regina nostra, & digna sit, & iusta sit Anglicani Regni hæres, erit vestræ charitatis, qua Reginam soletis amplecti Reges, & officij, quo vel confœderati amicam, vel cognati necessariam debetis prosequi, omni mentis prouisione cauere, ne suo iure orbetur: ac dignitate multis nominibus debita dimoueatur, & vobis ex ipsius

malis periculum posterisque vestris creetur. Ac ne res obscurius ac strictius declarata vos fortasse retardet, en iam Libellum, quem dum Reginæ meæ causam in Anglia legatus agerem, Anglis Anglicè curabam edendum, Latinè quorundam Principum rogatu conuersum, ac genealogia competitorum, qui ex Lancastrensi & Eboracensi familijs profecti sunt, auctum, vobis humillimè offero: in quo omnes aduersariorum calumniæ ita refutantur, insidiæ aperiuntur, rationum quibus nitebantur, momenta infringuntur, vt omnis planè dubitatio, quæ æquis æstimatoribus nihil antè difficultatis videbatur habere, ex aduersariorum quoque animis videatur iam euulsa. Accipite ergo, quòd do, amicè: animaduertite, quod scribo, attentè; ac facite tandem quod decet, iustè. Valete, ac Reginæ longè iustissimæ fauete. Parisijs, Calend. Ian. 1580.

SERENISSIMÆ AC CLEMENTISSIMÆ MARIÆ, SCOTORVM REGINÆ, ET optimæ ſpei Principi, eius filio, Principibus meis obſeruandiſsimis, Io. Leſlæus Epiſcopus Roſſenſis obſequium ſuum defert.

E MVLTIS præclaris ad rerum magnarum laudem adiumentis, quæ ſuprema bonitas ad mortalium animos componendos, humanæ naturæ indidit, haud ſcio an ſit vllum vel vtilitate vberius, vel dignitate pręſtantius, quàm beneuolentiæ inter homines ipſos amoríſque communicandi mutua quędam propenſio. Hęc enim viribus vſque adeò in rebus arduis ac pręſtantibus pollet, vt in quo feliciter fuerit adulta, is neque conſilio dimoueri, nequè temporis anguſtijs imminui, neque aduerſis fortunæ flatibus turbari, neque vi aliqua conuelli, nedum erui aliquando poſsit. Vt mihi neceſſariò dicendum ſit, eos qui hoc naturæ munere careant, non modò in rebus gerendis à conſtantiæ ſapientiæque laude quàm longiſsimè abeſſe: verumetiam hominis ingenium quaſi ἀστόργους aliquos exuiſſe. Atque cùm hic amoris beneuolentiæque ſenſus omnibus hominibus natura inſitus ſit, tùm ſingulari quadam ratione ijs, qui ſanguinis quaſi arctiore quodam vinculo copulati, neceſsitudine deuinciuntur. Quamobrem quoties mihi ob oculos pono, tum parentum indulgentiam in proles, tum liberorum pietatem in parentes, toties vim iſtam (ſine qua nulla non ſolùm reſpub. ſed ne parua quidem familia poteſt conſiſtere) tanquam ſummum Dei in genus hominum beneficium videor agnoſcere: Toties vobis (quibus hæc ſcribo, Clementiſsimi Principes) ſubditíſque veſtris debeo congratulari: qui iſta naturæ iura vobis à Deo opt. max. excellentiore quodam modo inſita, ab omni temporum iniuria hominúmque peruerſorum calumnijs integra dum ſemper retinuiſtis, nimirum nullum maius veſtræ humanitatis virtutíſque teſtimonium præbere, nullam maiorem ſpem regni veſtri conſeruandi amplificandique, in ſubditorum animis potuiſtis excitare. Tali etenim inter vos conſenſu & firmiſsimo amore, nihil eſt quod mihi reliquíſque veſtris ſubditis gratius eſſe poſsit, nihil vtrique

vestrum acceptatius esse debeat, nihil denique ad omnium fortunas magis accommodatum. Obnixè itaque, & quantis possum precibus vos obtestor, nè de solito quippiam ardore remittatis, vtque mutuus amor ita altas in animos vestros radices agat, in immensum in dies magis magísque accrescens, neque fraudulentis calumniatorum insidijs, neque acerba leuis fortunæ inconstantia, neque flagitiosa huius sæculi malitia frangatur. Beneuola animorum coniunctio vobis murus ahæneus esto, vt inquit ille: hunc vos murum tenete fortiter: hunc timeant sycophantæ bilingues: hic efficiat vt illi in primis vestræ virtuti displiceant, qui blandum in ore verbum, in manu crudele ferrum habent, verbo pacem, ferro bellum moliuntur, pace dolos, bello vim exercent, dolis animos, vi corpora contrucidant. Nam summa illa matrum virtus pietásque in liberos non priuatis tantùm familijs, sed & ipsis quoque rebuspub. atque adeò summis tandem imperijs multum attulit emolumenti. Hinc est illud, quo tantoperè commendari solet Dalmatica illa Eurydice, quòd vbi exul in Illyria esset, vt filios rectè institueret, prouecta iam ætate, disciplinis animum studiumque applicaret. Sed vt propiùs te alloquar, Serenissima Regina, si huius, si omnium aliarum parentum de prole solicitudo cùm tua hac singulari in filium charitate conferatur, tanto interuallo cunctas superabis, quantò difficiliùs fuit in ferreo sæculo constantiam amoris cursúmque virtutis tenere, quem tu fortissimè & summa in filium cura retinuisti. Tu enim de salute eius, qui vnicus tibi filius est, dignus quidem te, & meritò tibi charissimus, adeò semper solicita fuisti, vt non modò summam curam ipsa gesseris, sed & aliorum quoque fidei ipsum instantissimè commendaueris, subortis deinde tumultibus ac seditionibus cum omnia súsque déque verterentur, & reipub. nostræ facies, eiúsque administratio, deiectis his qui rerum fastigijs præerãt, alijsque subitò in eorum locum per vim suffectis, penitùs mutaretur, quanto tum metu, quanto animi angore corripiebare, quæ filio nihil charius haberes. Qua verò sedulitate, quo studio ipsius salutem tã apud proceres, quàm eos, quibus eius cura demandata fuerat, modò per litteras ac internuntios, modò precibus ac muneribus procuraueris, testis ego sum oculatus, & qui certiùs testari possit, qui clariùs prædicare debeat, arbitror esse neminem. Nam ea tempestate, ego serenissimæ matris tuæ mandato, meóque munere functus, his rebus interfui, & quasi de manu (quod aiunt) in manum transmisi atque tradidi, & (quod tu fortassis optares à me silentio inuolui) plusculam apud te moram agens, quàm sæpissimè (dum preces ideò apud Deum solicitè funderes) lachrymarum tuarum misertus sum. Denique cùm eò tandem res deductæ essent, vt de liberatione tua certis conditionibus ageretur, filij honorem, dignitatísque incrementum

rebus omnibus, vitæ (dixerim) tuæ prætulisti. Tum etiam constantissimè affirmabas, nihil te vnquam quod in eius detrimentum aut incommodum vergeret (licet sæpiùs ad id interpellata esses) admittere velle. Digna sanè vox pietatem maternam ac Regium omnio maiorum suorum animum referens, egregiámque in filium (qua vix vnquam propensior fuit) voluntatem satis superque testatam faciens. Tu verò, spei optimæ Princeps, cuius ætatem iudicium lōgè superat, cùm hæc aliáque multa maternæ in te charitatis indicia à tam humana, tam pia, tam generosa parente tibi esse relicta (quæ per fidissimos nuncios, & frequentes literas, si modò liberè ad te perferri potuissent, probè intellexisses) cùm inquam, hæc attenta animi cogitatione tractaueris, ita nimirum tecum dices,

> Ecquid in antiquam virtutem, animósque viriles
> Te matris pietas, materni & sanguinis ardor
> Excitat, vt simili studio, pietate, fidéque
> Hanc redames, illíque velis te credere solum?

De optima saltem matre tibi per infortunium erepta, velut olorino cantu, eo disticho poteris meritò & grauiter apud te conqueri, quo pulchrè Homerus facit Telemachum calamitatis locò deputare, quòd fratre careret:

> Vsque adeò nostram gentem Saturnius orbam
> Reddidit, vt me stirps dependeat omnis ab vno?

Quò etenim vnicuique sua mater sanguinis & naturæ copula fratre coniunctior est, eò etiam oportet esse chariorem. Vt hoc igitur officij libentiùs à te præstetur, perpende (quæso) præter insitam pietatem, quot regna potentissima, regionésque amplissimæ, & prouinciæ populosissimæ ab illa sola successionis iure ad te iustum ac legitimum eius hæredem (modò Deus tibi vitam, quod optamus, diutinam concesserit) deuoluantur? quæ omnia matris solius nomine tibi obuenient. Verùm cùm Scotia nostra extra omnem controuersiam posita sit, neque domi, neque foris quisquam reperiatur, qui de iure illius quicquam in dubium reuocet: de alijs tum regnis tum prouincijs quid iustè ac legitimè aliquando sperandum sit, non immeritò inquirendum esse iudicaui. Nam cùm tot amplissimarum ditionum successio, tam exteros quàm earum incolas suspensos forsan teneat; vt omnis ex omnium animis scrupulus penitùs euellatur, & ius quo Serenissima Mater tua, túque vnicus tantæ matris filius & hæres futurus, ante alios meritò gaudetis, neminem lateat, en hunc vobis libellum offero, in quo totius causæ ratio, ius, legitimúsque successionis ordo, series, atque progressus describitur, aduersariorum quoque prætendentium argumenta (etsi parum roboris & momenti illa habeant) plenè ac dilucidè refelluntur. Quam ego operam longo tempore in Anglia legatus, in vtriusque vestrum, patriæque communem

gratiam commodúmque non inuitus suscepi. Tum sanè multum sæpiúsque cum expertissimis legum Angliæ Iurisconsultis, Iudicibus & Aduocatis super tam ardua quæstione contuli, disceptaui, eorúmque demum sententias exploratas habui. Nec ita multò posteà, cùm hæc maturiore accedente consilio mecum reputarem, & meo officio, & illi quo vos rempublicamq; nostram colere debeo, omnino cõsentaneum putaui, si in volumen aliquod breue ea omnia compingi curarem. In hanc etiam mentem me impulerunt multi Christiani Principes, qui à me ex Anglia reuerso, salutati, quæ verbo de ea re auidissimè audiuerant, vt scripto meo aliquando tenerent, vehementer rogarunt. Quapropter nè aut vestræ dignitati tuendæ, aut eorum precibus, aut vacillantis populi dubitationibus, & anxiæ multitudinis publico commodo deesse viderer, has lucubrationes in publicum ædidi, quas pro vestro animo planè regio (Clementissimi Principes) tanquam amoris ac debitæ obseruantiæ meæ pignus grato, vt spero, vultu accipietis, & initi laboris consilium pro rei subiectæ magnitudine vestro iudicio dignum affirmabitis, consilijque normam pro varia & multiplici consequenti vtilitate probabitis. Vt enim plurimarum regionum ad vtrũque vestrûm iustissimo titulo pertinentium iusta ac legitima vnio regiam potestatem longè splendidissimam per Reges plurimos ad vos vsque deriuatam clarissimè euincit, ita summam quoque animorum coniunctionem, & in auita religione consensionem à vobis hîc non obscurè postulat. Neque enim aliud quicquam regium nomen & stemma omnium clarissimum, à matre in filium tam feliciter deriuatum pati potest, quàm vt cum indubitato regni titulo vnanimis in syncera religione professio sequatur. Pro qua asserenda, vt auorum atauorúmque æmulata virtutem, fidem, & pietatem religiosissima mater constantiam sexu superiorem exhibuit, ita succrescenti Principi filio etiam atque etiam videndum fuerit, nè in eiusdem Catholicæ religionis professione inferior existat, sed vt aliarum virtutum, quibus illa præter sui sexus conditionem multùm præcellit, se imitatorem præbet mirificum, ita etiam in fide & Catholicæ religionis vnione persimilem conformémque se ei exhibeat. Neue tam piæ matris animus quicquam occasionis habeat, cur de filij sui charissimi amore aliquid remittat, sed affectibus in dies crescentibus, quando præsentem intueri non liceat, absentem saltem complectatur, mutuóque amore respondeat: & sic omnibus in rebus ei prospiciat, vt non solùm subditi eos reuereantur, sed exteræ etiam nationes tam præclaram æmulationem cernentes, suspiciant & admirentur. Ita enim fiet, vt subditi vestro exemplo ad pacem, mutuum consensum, charitatemque inuicem fouendam sese excitent, & omnia vobis iure debita regna, prouincias, & regiones citra contentionem sponte

ſua deferant, nihilque magis in votis habeant, quàm eorum ſubeſſe imperio, quos in ſumma animorum fideíque vnione, regni habenas iure & legibus gubernare animaduertant. Quæ quidem regna, ſubditóſque ad diuini ſui nominis gloriam, Eccleſiæque ſuæ ſanctæ & fidei Catholicæ propagationem, communem quoque pacem & tranquillitatem, piè & iuſtè regere ac moderari ille ſolus omnium Princeps ſua gratia vobis concedat, qui Regum corda tenet, regit, ac moderatur. Pariſijs Calend. Ianuarij, 1580.

AD NOBILITATEM POPVLVMQVE BRITANNIÆ T. ST. ANGLI CARMEN.

Huc ades, intentísque oculis hunc inſpice librum,
Anglorum qui iuſta cupis cognoſcere iura,
Iuſtóſque hæredes, & tanti ſtemmata regni,
Temporis & quanta ſerie poſt aſpera bella,
Aurea conſtiterint firmatæ fœdera pacis,
Septimi in Henrici ſponſa, ſociáque iugali:
Cuius ab illuſtri deſcendit ſtirpe Maria,
Illiúſque ſuæ matri par, inclytus hæres,
Penè ſub Arctoo qui ſydere regna gubernat,
Quíque ſuæ titulis & auito iure parentis
Cogitat Anglorum poſthac fælicia ſceptra,
Virtutéſque, viróſque ſua virtute tueri,
Pòſt ſobolem Henrici extinctam, qui nominis eius
Dicitur Octauus, quis enim tum dicere contrà
Iure ſuo queat, aut regno ſpoliare Britanno?
Néue quis ignarus dubitet, qui robore legis
Proximus in tanta patria ſuccederet hæres,
LESLÆVS veríque tenax, & pacis amator,
Reginæque ſuæ ſoliti ſtudioſus amoris,
Hoc prælo commiſit opus. Vos ergo Britanni,
Huc velut ad lætam læti concurrite meſſem,
Veridicíque viri monitis, operíque fauete,
Demiſsíſque animis Reginæ iura futuræ
Excipite, alterius ſæcli cùm poſtulet ordo.
, Illud enim fælix regnum eſt, cui nulla tyrannis
, Imperat, & cuius veris virtutibus hæres
, Tinctus habet frænos, plebíque imponit habenas.

T. St.


GENEALOGIA REGVM ANGLIÆ.
a Gulielmo Duce Normandiæ Conquestore dicto, vsque in annum presentē 1580.
Guliclmus Normādiæ Dux, dictus Conquestor, Eduardi Confessoris Angl. Regis, cognatus, Heraldo vltimo Angl. Rege, in pugna apud Hastigs victo & cæso, regnū Angl. adeptus est, An. 1066. cuius posteri ad hæc nostra vsque tempora eodem regno potiuntur. 1580.
Cvm nonnulli regnādi cupidine inflāmati, cōmētitiis nescio quib⁹ titulis, ad Anglicani Regni diadema aspirent, ad tollendam omnem hac de re dubitationē, hoc schemate prouisum est: quo cōstat Henricum 7. Angl. Regē, cuius fœlix faustaq; sit memoria, ex Elizabetha cōiuge tres tantùm liberos superstites reliquisse, Henricum eius nominis 8. Margaretá maioris natu filiam, Iacobo 4. Scot. Regi nuptā, & Mariā Ludouico 12. Fran. Regi primum, deinde Carolo Brandono, Suffolcię Duci collocatá. Hērici 8. itaque sobole deficiente, successionis Regnorum Anglię & Hibernię ius ad Serenissi. Mariam Scot. Reginam, Iacobi 4. & Margaretæ ex Iacob. 5. Scot. Rege eorū filio neptem, eiusq; deinceps liberos rectissimè, aliis omnib⁹ exclusis, deuolui debere, hoc schema intuentibus apparebit.
LECTORI BENEVOLO.
Habes hic (Lector beneuole) continuam florentissimi Anglicani regni ab his quingentis annis successionem quam non tam Serenissimæ Scotorū Reginę Marię, eiusq; filio optimę spei principi, gratificandi studio, proponere volui, quàm vt sublato omni de legitima successione scrupulo, totius Britanniæ dignitati, paci ac saluti consulatur, & omnis seditionis materia, quæ inde suboriri posset, pænitus extinguatur.
Vale & huic nostro labori faue.
I. LESLÆVS EPISCOPVS ROSS.
Series eorum, qui ex Lancastrensi & Eboracensi Regiis familiis continenter nexi, Regnum Angliæ aut iustè vendicant aut iniustè ambiunt, eo imprimis nomine descripta, vt liqueat omnibus, quo iure quisq; ex Henrici septimi, & Elizabethæ suæ coniugis liberis, nepotibus & deinceps, ad Regni Angliæ successionem suo ordine vocari debeat.
HONI SOIT QVI MALY PENSE
Familia Suffolciæ.
Familia Huntyngtonæ.
SCOTIÆ LINEA
Familia Eboracensis.
Familia Lancastren.
Linea Portugalliæ.
Linea Castiliæ.

DE TITVLO ET IVRE SERENISSIMÆ PRINCIPIS MARIÆ SCOTORVM REGINÆ, QVO ANGLICI REGNI SVCCESSIONEM SIBI IVSTE VENDICAT, LIBELLVS:

Simul Anglorum Regum, & Competitorum à Lancastrensi & Eboracensi familijs descendentium historiam ad hæc nostra tempora complectens.

PRÆPOTENTIS Dei, qui ex nihilo omnia condidit, summa (Amice Lector) prouidentia in eo elucet, quòd potentia, ac facultate planè illa, (quam dicendo consequi nullus potest) non solùm res singulas finxerit, verumetiam animantibus omnibus singulare quoddam donum impertiuerit, vt ad suum quæque genus & reficiendum & conseruandum indita quadam naturæ vi acerrimè incumbat. Qua quidem re admirabiles ingenij ac rationis dotes, quibus homo solus magno Dei beneficio cumulatus est, efficiunt, vt omnes animantes conditio hominis multis partibus longissimè superet. Nam per hæc præclara ingenij & rationis munera homo non solùm sibi cauet ab ijs rebus, quæ præsentes iam & ante pedes positæ videntur,

(id quod belluæ, cæteráque animantia rationis expertia instinctu quodam naturæ faciunt) verumetiam causas ex causis prouidè prudentérque nectendo, longißimè in futurum prospicit, si quæ vel sibi vel Reip pericula multos post annos videātur impendêre: ijsque ne accidant, via vt vel occludatur, vel planè præcidatur, omni ratione, quam suspicionis odore pôsit præsentiscere, sedulò laborat. Idque eò maiori cura, ac diligentia attentiori, quò malum, quod vrgere sentiunt, grauiori metu animos hominum percellit. Hāc, quam dixi, curam ab vnoquoque eò in primis referre debere, vt Principi auctoritatem integram, patriæ, ac Reipublicæ salutem certam, vtrique denique pacem ac tranquillitatem pariat, omnes summa animorum cōspiratione assentiūtur. Ad cuius negotij perfectam cumulatámq; rationem consequendam cùm multæ quasi muneris politici partes desiderētur, tùm in primis hęc duo: primum vt subditi Regem, qui Reip. iam clauum moderatur, amore, reuerentia, ac honore iusto prosequantur: deinde vt priusquàm hic vitâ cesserit, exploratè cognoscant, cui deinceps obseruantiam, & fidem suam integram seruare debeant. Cuius rei certa, exploratáq; cognitio, quemadmodum voluntates ad obsequium promptas, officijq; plenas elicit à subditis, ac adeò vniuersum populū summa iucunditate permulcet, totúmque latè Regnum dulcißima pace cumulat: ita è contra vbi de eo, qui iusta succeßione Reip. gubernacula Regnique fasces est suscepturus, animorum acerbis dissensionibus, partiúmque studijs certatur, erumpunt factio

Hominis est futura prospicere.

Subditi Regem amore prosequi, & futurum hæredē cognoscere debent.

factiones, ex factionibus apertæ inimicitiæ, ex inimicitijs grauissima pericula, ac nonnunquam funestissimæ totius Reip. conuersiones. Quæ incommoda vt faciliùs tollerentur, totius penè orbis consensione factum est, vt postposita electione (antiquitus enim non agnationis successione, sed virtutis electione regnatum est) Reip. regendæ quasi habenæ quędam non melioribus & pręstantioribus, sed certis hominibus, qui ex vna familia continenti serie fluxerunt, ijsque nonnunquam tanto muneri sustinendo planè ineptis, traderentur. Quod tamen necessitatis vitium abundè compensatur, partim beneficio vniuersæ illius pacis, quam populus consequitur, longè maximo, partim consilijs atque iudicijs prudentissimorum virorum, quibus vtuntur Reges, multò grauissimis: vsque eò, vt omnes, quos in vniuerso orbe subesse aut legimus, aut vidimus, per multa sęcula hęreditariam potiùs sanguinis successionem, quàm ancipitem virtutis electionem, summa prudentiæ ac iudicij laude amplecti iam visi fuerint.

Successio regum hæreditaria Reip. vtilis.

Omnes porrò Principes, qui Reip. saluti prospectum esse paulò studiosiùs cupiebant, cùm proprios liberos, qui in Reip. gubernacula sufficerentur, non haberent, in eam curam sedulò operam dabant, vt ad ansam ciuilium discordiarum præcidendam populus legitimum Regni hęredem certò & exploratè cognosceret: pręsertim si de vera Regni successione factiones, & dissensiones consecuturas cogitatione ac animo pręcepissent.

Anglorum regum cura de futuro hęrede.

Hanc ſingularem mentis prouidentiam, piámque Regni curam non ſolùm in mùltis exteris Principibus enituiſſe, ſed etiam in Regibus, qui Angliæ, & ante & poſt Normannorum incurſionem factam præfuerunt, apertiſsimè teſtantur Edoardus Rex ille ſanctæ Eccleſiæ haud obſcurus confeſſor, & Richardus eius nominis primus (de quibus poſteà paulò vberiùs loquemur) quorum ille Edgarum Athelingum abnepotem ſuum: hic paulò ante ſuſceptam Hieroſolymitanam profectionem Arthurum Britanniæ Ducem, ſuum ex fratre nepotem, publicis optimatum & plebis ſuffragijs, hęredes & Regni ſucceſſores conſtituit. Eadem vigilantia Richardus eius nominis ſecundus Edmundum Mortimerum primæ nobilitatis virum, cui Philippa Leonelli Clarentiæ Ducis, ac Regis patrui filia hęres elocata erat, omnium ordinum decreto (quod trita vulgi voce Parleamentum dicimus) Regni ſucceſſorem deſignauit: atque, vt propinquiora exempla attingamus, Henricus Angliæ Rex eius nominis octauus ante poſtremam illam ac memorabilem eius in Gallias expeditionem, quantam in hac parte prudentiam declararit, notius eſt, quàm vt debeam perſequi fuſiùs.

At nunc ſi Deus Opt. Max. illam quæ Reip. Anglicanæ clauum tenet, huius lucis vſura (qua ſunt omnes & principes, & plebeij naturæ fragilitate nati) priuaret, quàm miſerabiles, & illi Regno funeſtæ calamitates conſequerentur, niſi certa indubitatæ ſucceſsionis ratio hominum auribus, animiſque inculcetur, horret

planè

planè mens prędſagire, ipſáque cogitatio malorum, quæ huic Reip. impendentia vix vlla ratione excludi poſſe videntur, vulnerat animum: cùm nihil planè (ſi rem ad humanæ rationis calculos exigamus) expectari poſſit aliud, quàm vt æſtuantibus mutuæ diſſenſionis fluctibus obruta, ac inteſtinis ciuilium contentionum flammis implicita prorſus conſumatur.

Cuius rei tantò maior eſt metus, quò apertiores huius incendij flammæ his proximis annis euolarint: imò quò certius eſt horum fluctuum impetus Reip. Anglicanæ oras iamdudum conquaſſaſſe, ac adeò perfregiſſe. Illas dico acerrimas lites, quę tot in locis inter tot homines hac de cauſa excitatę fuerunt: libros etiam paſsim in vulgus diſſeminatos (quibus diſſeminandis necdum modus vllus ponitur) quos vel affectus cuiuſdam deprauatio malitioſè effudit, vel conſtans veritatis defenſio ſincerè elicuit.

Ex incertitudine ſucceſſoris, diſsidia Anglis imminent.

Quare cùm ſententię non ſolùm eorum, quos fortuna ad plebis ſortem abiecit, aut ſaltem paulò ſupra plebem excitauit, verumetiam horum, quos virtus ac nobilitas in primo honoris gradu collocauit, plurimū de ſucceſsione diſsidentes, certiſsimas Anglis cauſas inijciant, metuendi ſibi à malis, quę vigere iam videntur, puto ad officium pertinere eorum, qui verè & germanè Angli ſunt, aut illis fauent: vt quam quiſque prudentiam & operam ad viam tot malis interſępiendam adferre poſsit, eam primo quoque tempore conſumat, impendátque vniuerſam. Videmus quanto ingenio, prudentia, labore, ſumptu laborant homines, vt quibus

Boni cuiuſque ciuis eſt mala Reip. imminentia propellere.

in locis maris aut fluminum irruptiones futurę timeantur, ijs intra oras ac alueos coërcendis obices ponantur: videmus in magnis ciuitatibus quanta diligentia adhibeatur in incendijs, ne quę oriantur, summa prouidentia pręcauendis: aut si quę orta fuerint, singulari prudentia quamprimũ extinguendis. Vnde Augustus Cęsar inter cętera, quę pręclarè gesserat, in primis hoc nomine laudatur, quòd ab eo die, quo Roma in septem separatim partibus incendio conflagrauit, septem distribuerit in vrbe cohortes, quæ excubijs diligenter agendis, huic malo in posterum viam omnem pręcluderent. Nonne igitur omni cura & vigilantia pro sua quisque virili parte eniti debet ad hanc consopiendam flammam, quæ iampridem emicare cœpit, quęque (nisi diligens cautio adhibita fuerit) non vnam solùm ciuitatem, sed vniuersam longè latéque Remp. suo igni implicitura, ac adeò consumptura videtur?

Commodissima has contentiones sedandi via.

Cuius sanè extinguendæ illa mihi videtur commodissima & longè expeditissima via, vt ciues intelligant, qui iure succesionis (quæ certa Regum serie continenter nexa nihil habet labeculæ admixtum) Regni Anglici fasces ac diadema suscipere debet. Iam enim plerosque videas, qui vel rem planè totam ignorantes, vel falsis quorundam libellorum persuasionibus circumuenti, de recta sententia, quam semel imbiberant, ac pia obseruantia, quam alioqui pręstare & vellent, & deberent, vno quasi digitulo se in aduersa omnia transuersim abripi facilè patiantur.

Quam ego iudicij ac opinionis deprauationem cùm

ex hominum mentibus euelli vehementer cupio, tùm rationibus, quàm possum firmissimis idem hoc in libello conabor studiosè: non quod opinione facultatis meæ (quæ sentio quàm sit exigua) arrogantiùs elatus, amplius aliquid, quàm cęteros, in hoc genere consequi me posse putem: sed, cùm veritatis expiscandæ studio incensus, aduersariorum scripta diligenter legerim, ac argumēta eorum omnia Iuris Angliæ peritissimorum consilio, & iudicio, dum ibidem pro Serenissima Scotorum Regina legationis munere fungerer, adiutus, ad calculum accuratè reuocarim, vnus è multis ad hoc libenter (idque à non paucis Principibus, & magni nominis & authoritate viris rogatus) aggredior: quod me effecturum sperem, vt certissimis rationibus ipsam veritatem planè insculpam iustis rerum ęstimatoribus, id est, ijs qui nulli priuatæ affectioni pertinaciter adhęrescunt, vel qui nulla sceleris cogitatione, aut partium studio verè ex animo in contrariam inclinant sententiam.

Authoris ratio, cur hunc librum in lucem emiserit.

SERIES EORVM, QVI EX LANCASTRENSI, ET EBORACENSI REGIIS FAMILIIS CONTINENTER NEXI, REGNVM ANGLIÆ aut iustè vendicant, aut iniustè ambiunt, eo in primis nomine descripta, vt liqueat omnibus, quo iure Serenissima Princeps Maria Scotorum Regina reliquos competitores, qui in Regni Anglicani Solium anticipato tempore irruere contendunt, excludere debeat.

Regnum Angliæ successionis iure ad Reginā Scotiæ pertinet.

ANGLORVM Imperium, Elizabetha eorum Principe sine liberis defuncta, ad Serenissimam Scotorum Reginam legitimæ successionis iure, titulóq; pertinere, certum, exploratúmque omnibus euasit: vt ne id quidem aduersarij negare possint, si modò priuatis contentionum causis & affectibus animi depositis, quid sibi videatur, syncerè, & ex animi sententia testari velint. Neque enim diuino tantùm naturalique iuri, sed & municipalibus Anglorum legibus, & iuri communi, quod vocant, hoc consentaneum est, quo veluti per successorium quoddam edictum, fœminæ in proximo gradu constitutæ, deficientibus masculis, ad Regni gubernacula inuitantur.

Fœminæ in Regno Angliæ iure succedunt.

Margareta Henrici VII. filia natu maior, Reginæ Scotiæ Auia.

Fœlix, faustáque sit memoria illustrissimæ Principis Margaretæ Scotorum quondam Reginæ, quæ cùm esset Henrici Anglorum Regis septimi filia natu maxima, nupsit Iacobo Scotorum Regi eius nominis quarto, ex quo, Deo (cōstanter dixerim) authore, felicibusq; auspicijs ac lætis auibus, suscepit Iacobum quintum Sere-

Serenissimæ Principis nostræ Mariæ patrem. Ex quo patet Henrici septimi liberis sine prole defunctis, Mariam Principem nostram Margaretæ Auiæ suæ ius ac locum obtinere,& cęteris omnibus,qui ex Regia stirpe originem duxerunt,cognationis iure anteponi. Atque hęc quidem simplex est veritatis narratio,quæ si fidem apud omnes caperet, verbis dilatanda non esset. Sed quoniam eò plerosque impellit ambitio, vt contentionum magis quàm veritatis sint amantes,eiúsque lumen fuco obumbrare conentur, fusiùs à nobis est explicanda:& quamquam satis per se clara est,multarum rerum documentis illustranda venit,vt Serenissimæ Principis Mariæ Competitores, si rationum momentis minùs acquiescunt, frangantur tamen, vt quod contrà dicant, habeant nihil, & detracto velo, purè synceréque res omnibus & Principibus & populis appareat.

Quæ in hoc opere tractantur.

Primùm igitur Anglorum Regum genealogiam qua nullum iustæ successionis maius argumentum esse potest, ostendemus, eandémque ab Eduardo tertio Anglorum Rege, & clarissimis illis Lancastrensi ac Eboracensi familijs ad hęc nostra tempora per modum historiæ verè deducemus: deinde Competitorum argumenta ponderabimus, vt rebus sic vltrò citróque disputatis, veritas faciliùs elucescat.

Lancastrensis & Eboracensis familiarum series, progressus & insignia.

Rex Henricus eius nominis septimus à Lancastrensi familia oriundus,vxorem habuit Elizabetham,Eduardi quarti Anglorum Regis primogenitam,familiæque Eboracensis hæredem. Quo quidem cōnubio cruentæ illæ factiones Albæ Rosæ,quam Eboracēsis,& Rubræ,

quam Lancaſtrenſis familiæ ferebant, à gentilitijs partium inſignibus ita denominatæ, & quæ rem Anglicam tam diù, támque miſerè afflixerant, Deo tandem miſerante, finem inuenere. Duæ ſiquidem Regiæ familiæ potentiſsimæ, Lancaſtrenſis videlicet, & Eboracenſis, à duobus Eduardi tertij Anglorum Regis filijs, Ioanne nimirum de Gandauo Duce Lancaſtrenſi, & Edmundo Duce Eboracenſi ortæ, de principatu inter ſe contendentes, proceres ac plebem Anglicam in contraria ſtudia diu diſtraxerant. Nec bellorum aut cædis ciuilis modus aut finis vllus, donec vtriuſque familiæ iura per eas nuptias in vnum coaluere, ſicque factiones omnes, ac bella inteſtina è medio ſublata videbantur. Cauſa autem & origo huius diſſenſionis hæc erat.

Vtraque familia ab Eduardo 3. originem duxit.

Diſſenſionis magnæ inter has familias Cauſa.

Eduardus tertius Rex Angliæ, is qui à rebus in Gallia præclarè geſtis, victoris nomen apud ſuos obtinuit, quatuor filios genuit, Eduardum Vvalliæ Principem natu maximũ: Lionellum Ducẽ Clarentiæ natu proximum: Ioannem de Gandauo dictum, Ducem Lancaſtriæ, tertium fratrem: & Richardum de Langley Ducem Eboracenſem, qui fuit quartus frater.

Quatuor Eduardi 3. filij.

Eduardus Princeps mortuus eſt ante patrem, relicto poſt ſe filio, qui Auo ſuccedens, Richardus ſecũdus Rex Angliæ appellatus eſt. Hic Regno priuatus (per Henricum quartum patruelem ſuum, filiũ dicti Ioannis Ducis Lancaſtriæ ex Blancha vxore) in carcere deceſsit ſine liberis. Regnum igitur ad hæredes tertij fratris, & ad familiam Lancaſtrenſem hoc pacto tranſlatum eſt.

Lionellus autem 2. frater Dux Clarentiæ, vnicam filiam & hæredem habuit Philippam, vxorẽ Edmundi Mortimeri Comitis Marchiæ, cui nomen Claudus Roger. Ex his natus eſt Rogerius Mortimerus Marchię Comes, coętaneus Richardi ſecundi qui Regnum amiſit. Cuius Rogerij vnicam filiam, & hæredem Annam Richardus Cantabrigiæ Comes, familiæ Eboracenſis ex dicto Richardo Langley quarto fratre, duxit vxorem. Vnde factum eſt, vt iam familia Eboracenſis propter hanc Annam ex Clarentiæ Ducibus oriundam, propiorem, vt videbatur, titulum ad Regnum Anglię nacta, grauiſsimam illam cum Lancaſtrenſi familia ſimultatem duabus infeſtiſsimis factionibus exercuerit.

Eboracenſis familiæ principium.

Tertius frater Ioannes de Gandauo Dux Lancaſtriæ, primam vxorem habuit Blancham filiam, & hæredem Henrici Lancaſtrię Ducis. Qui Henricus, (quod valdè notandum eſt) ab Edmundo deſcenderat ſeniore quidem filio Henrici tertij Regis, ideóq; Regni hærede, ſed pater eum exhęredauerat, prępoſito iuniore filio Eduardo primo. Quam iniuriam non ferens Henricus poſteà eius nominis quartus Rex, ex illa Edmundi familia natus, parentibus Ioanne de Gandauo, & Blancha iam dictis, Richardum ſecundum vltimum ex Eduardi illius primi ſucceſſoribus, Regno, vt ante diximus, priuauit. Henrico quarto ſucceſsit filius eius Henricus quintus maximæ exiſtimationis Princeps, qui ex Catherina vnica Caroli ſexti Regis Francorum filia ſuſcepit Henricum ſextum Anglię Regem. Cui Eduardus 4. familiæ Eboracenſis coniecto in carcerem, vbi

Ioannes de Gandauo Lãcaſtriæ familiæ caput, & eius ſucceſſio.

& mortuus est) Regnum ademit, filiúmque eius Eduardum Principem statim à prælio Tubsberiensi cláculum extingui iussit. Mansit tamen adhuc Lancastrensis familia. Nam Ioannes de Gandauo ex alia vxore sua, quæ tertia & postrema fuit, Catherina Svvinforda, filium genuit Ioannem Comitem de Somerset, & Marchionem de Dorset. Rursus iste Ioannes Comes filiam habuit Iohannam nuptam Iacobo primo Regi Scotiæ, (qui tertius ex Steuardorum familia post duos Robertos 2. & 3. genuit Iacobum 2. Regem Scotiæ, cui successit Iacobus 3. ex quo natus est Iacobus 4. qui vxorem duxit Margaretam sororem Henrici octaui natu maximam, ex qua Iacobus quintus, cuius filia Maria nunc Scotiæ Regina) & filium Ioannem Ducem Somersetensem. Cuius vnica filia Margareta de Somerset nupsit Edmundo, qui vterinus frater Henrici sexti ex eadem matre Catherina (nam patrem habuit Odoënum Iudder secundum Catherinæ maritum) ab eodem Comes Richmondiæ declaratus est. Horum filius erat Henricus septimus Rex Angliæ, postquam Richardum 3. Tyrannum in prælio iuxta Bosvvorthum occidisset. Sed ad familiam Eboracensem, quæ à quarto Eduadi tertij filio descendit, veniamus. Ille Richardus Comes Cantabrigiæ, quem suprà diximus, Annam Mortimeram vnicam ex Clarentiæ familia hęredem duxisse vxorem, filium habuit alterum Richardum Ducem Eboracensem, Principem illius factionis, quæ gestabat albam Rosam. Qui cùm Henrico sexto factionis Lancastrensis, cuius rubra Rosa erat insigne, diù

diù dimicans in prælio Vvaikfildensi, est occisus, relictis tribus filijs, videlicet Eduardo quarto, (qui Henrico sexto in carcerem coniecto, diadema ad Eboracensem familiam sic translatum occupauit, & liberos genuit Eduardum 5. qui patri succeßit, atque Elizabetham) Georgio Duce Clarētiæ (qui ab eodem Eduardo quarto fratre suo interfectus est, relicta Margareta filia Comitißa Sarisburiensi, quę nupsit Polo) Richardo tertio Duce Glocestriæ, qui mortuo Eduardo quarto fratre, & filio eiusdem Eduardo 5. clanculum extincto, Regnum per tyrannidem occupauit. Hunc igitur Henricus 7. vt cœpi dicere, descēdens ex familia Lancastrensi, & alterius factionis Princeps, nullis relictis liberis occidit propè Bosvvorthum. Et vt extirpatis factionibus, suam cum Eboracensi vnam eandémque familiam faceret, Elizabetham Eduardi quarti Regis filiam duxit vxorem. Atque origo & finis tantarum dissensionum sic à nobis obiter descripta sit.

Henricus 7. ex familia Lancastrensi descendit.

Harum familiarū in Henrico 7. & Elizabetha eius coniuge vnio.

Nunc de Henrico septimo pergamus dicere, is ex eadem Elizabetha filium genuit, Henricum eius nominis octauum (nam Arthurum & Edmundum, qui ante patrem decessere, prudens pręterea) filias verò Margaretam & Mariam. Henricus octauus vxorem duxit Catherinam Ferdinandi Regis Hispaniarum filiam, fratris Arthuri nuper antè demortui viduam, ex eáque genuit Mariam, quæ postea in Anglia regnauit. Deinde repudiata Catherina, eo prętextu, quòd mortui fratris priùs vxor fuisset, superinduxit Annam Boloniam Thomæ Boloni equitis filiam, ex qua genuit

Henrici 7. Soboles.

Henrici 8. proles.

filiam nomine Elizabetham, viuente etiamnum Catherina. Demum Anna capite mulctata, cùm prius eam tum adulterij tum proditionis ream damnasset, duxit Ianam cognomento Semęram, equestri familia ortam, ex qua genuit Eduardum sextum, quo absque liberis decedente, quamuis acta Parleamenti edita aliquando auctoritate Henrici Octaui in dubium vocarent iura successionis Mariæ & Elizabethæ filiarum dicti Henrici, ad successionem tamen Regni Angliæ Maria primum, deindè Elizabetha, quæ nunc dominatur, vocatæ sunt. Quibus absque liberis decedentibus, proximus in successione locus Serenissimæ Mariæ Scotorum Reginæ iure debetur.

Sed priusquam huius quęstionis explicationem aggrediamur, alienum non erit cùm de sobole & prosapia Regia, tùm de illis qui ius Regni & successionis ad se spectare contendunt, paucis dicere.

Henricus itaque septimus ex Elizabetha Eduardi quarti filia, vti supra demonstrauimus, genuit Henricum Octauum, & Margaretam nuptam Iacobo quarto Scotorum Regi, & Mariam nuptam Ludouico duodecimo Galliarum Regi, qui ex ea nullam sustulit prolem. Henricus Octauus, vti meminimus, genuit tres liberos diuersis matribus natos, nempe Eduardum sextum, Mariam, & Elizabetham. Ex Margareta Henrici septimi primogenita, & Iacobo quarto Scotorum Rege, cui primò nupsit, ortus est Iacobus quintus pater Serenissimæ Principis Mariæ nunc Scotorum Reginæ, Et inde, Rege mortuo, nupta Archibaldo Augusiæ

Margaretæ filię natu maioris Henrici 7. successio.

Comiti,

Comiti, eadem peperit Margaretam Douglasiam olim vxorem Mathęi Steuardi Comitis Lenoxiæ, nobilis Scoti. Hęc Margareta liberos habuit duos ex Lenoxio genitos, Henricum & Carolum, iuuenes summæ spei & indole planè Regia prędítos. Sed de his aliàs.

Mariæ filiæ natu minoris liberi.

Maria Henrici septimi filia natu minor post obitũ Ludouici Gallorum Regis nupsit Carolo Brandonio Suffolcię Duci, qui ex ea duas genuit filias, Franciscam scilicet ac Eleonoram. Nam Henricum huius Caroli filiũ, qui non diu superstes fuit, de industria prętermitto. Frãcisca nupsit Henrico Grayo Dorchestriæ Marchioni, ad Suffolciæ Ducatum postmodũ euecto. Is Henricus ex ea genuit filias tres, nempe Ianam, Catherinam, & Mariam. Iana natu maior nupsit Gilfordo Dudley Ioannis Ducis Northumbriæ filio, quod quidem connubium inauspicatò videtur initum fuisse, eò quòd tàm illis ambobus, quàm parentibus ac multis alijs exitium attulit. Catherina desponsata fuit Henrico Harberto Gulielmi Pembrochiæ Comitis primogenito. Maria natu minima simili modo desponsata fuit Arthuro Grayo, Gulielmi Grayi filio. Sed vtraque sponsalia, parentum potius suffragante consensu, quàm vllius legis authoritate, postea, vt accepi, partibus in iudicium accersitis, palamque renunciantibus, irrita omnino & inualida publicè declarata fuere: sicut etiam alia eiusdem Catherinæ cum Comite Hartfordiæ (cui duos filios adhuc superstites peperit) clam attentata sponsalia, de quibus nonnihil posteà dicemus. Et hęc de prole Franciscæ.

Duo Hartfordiæ Comitis filij ex Catherina.

Nunc ad Eleonoram veniamus. Eleonora Mariæ Suffolciensis altera filia natu minor, nupsit Georgio Cliffordio Comiti Cumberlandię, qui ex ea genuit filiam nomine Margaretam, nunc Comitis Darbiensis vxorem, cui numerosam prolem peperit. Et hęc vera est (quantùm inuestigare potui) genealogia vniuersę prolis ab Henrico septimo & Elizabetha vxore descendentis, quę ius aliquod in Regno Anglię sibi vendicare valeat. Restat igitur, vt pauca quoque de prosapia Regis Eduardi quarti subiungamus.

Eduardi 4. proles & successio.

Is Eduardus albæ Rosæ factionis princeps, filios genuit duos, quos Richardus frater Regnum affectans, pessimo post homines natos exemplo, interficiendos curauit: filias verò quatuor, quarum natu maximam nomine Elizabetham, Henricus septimus rubræ Rosæ factionis princeps, vt supra ostendimus, duxit vxorem: Alteram nomine Catharinam (vt de cęteris duabus taceam, quarum nulla extat soboles) vxorẽ dùxit Gulielmus Cortenaïus Deuonię Comes, ex eáq; genuit Henricum Cortenaïum, quem lęsæ Maiestatis insimulatum Henricus Octauus consobrinus capite mulctauit. Huic Henrico Cortenaïo superstes fuit filius vnigenitus Eduardus nomine, quem ab ipsis vsq; teneris annis carceri mancipatũ, Maria Anglię Regina, insigni clementię exemplo, non liberauit modò, sed prędijs etiam, bonísque omnibus paternis donauit, in integrúmq; restituit. Sed iuuenis postmodum obijt Patauij in Italia: cui si vixisset, post Henrici septimi prolem extinctam, corona Anglię iure optimo cedere debuisset.

In hoc Cortenaïo iam extincto deficeret Eduardi 4. progenies, quantùm ad lineam rectam, si non superesset Henrici septimi & Elizabethæ progenies. Quòd si aliquando euenerit, quęrendus est hęres in linea transuersa, siue (vt Iurisconsulti loquuntur) in linea collaterali.

Linea transuersa successionis regni.

Scire igitur oportet Richardum Plantagenistam dictum, Ducem Eboracensem, quem in pręlio Vackfildensi ab Henrico sexto interfectum diximus, & de cuius prosapia nunc agimus, filios habuisse tres, Eduardum quartum scilicet, (qui Henrico sexto Lancastrensi expulso, Regnum adeptus est) Georgium Clarentiæ, & Richardum Glocestriæ Duces. Quocirca deficiente Eduardi progenie in linea, vt dictum est, recta, recurrendum est ad lineam transuersam, hoc est, ad Georgium Clarentię Ducem, qui secundus Plantagenistæ in ordine filius fuit, & ad sobolem ab eo descendentem. Nam de Richardo fratrum natu minimo, qui sine liberis decesit, superuacaneum erit verba facere.

Georgij Clarentiæ Ducis familia.

Georgius itaque Clarentiæ Dux, frater Eduardi quarti natu minor, ex Isabella Vvaruici & Sarisburiæ Comitissa liberos procreauit duos, Eduardum scilicet, ac Margaretam. Post mortem Georgij, quem Eduardus quartus frater ob suspicionem affectati Regni dolio, vt fertur, vinario demersum è medio tulit: Eduardus filius iam inde à puero in carcere Londini, quem Turrim appellant, detentus, simili modo accusatus ab Henrico septimo tandem capite plectitur. Margareta Sarisburiensis Comitissa nupsit Richardo Polo Equiti

Polorum familia.

aurato, qui ex ea genuit Henricum, Arthurum, Galfridum, Reginaldum (qui posteà ob insignes virtutes in Cardinalium ordinem cooptatus, Cardinalis Polus appellatus est.) Henricus primogenitus (vt de cęteris taceam) duas reliquit filias, Catharinam scilicet Polam, nuptam Francisco Hastingio Huntingtoniæ Comiti, & Vvenefredam natu minorem: de qua, dummodo sororis natu maioris soboles (quę satis numerosa est) extiterit, non erit opus plura dicere. Hoc itaque modo deficiente Henrici septimi progenie, ius albę Rosæ siue Eboracensis familię, quę ab Eduardo quarto fluxit, per lineam, vt vocant, transuersam à Georgio Clarentiæ Duce in familiam Polorum, indeque in Hastingiorum siue Huntingtonensem transit.

Cardinalis Polus.

Familia Huntingtonensis à Georgio Clarētię Duce deducta.

Ex eadem etiam prosapia, videlicet ab Eduardo tertio Anglorum Rege, longa succeßionis serie, ortum habet Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, à Ioanne scilicet de Gandauo, Duce Lancastrię, Eduardi tertij filio, qui duas habebat filias Philippam & Catherinam: quarum Philippa peperit Eduardum Regem Portugalliæ (à quo etiam reliqui illius regni reges profluxere) patrem Eleonoræ Imperatricis (quæ mater fuit Maximiliani Cęsaris, patris Philippi Regis Castiliæ, qui genuit Carolum Quintum inuictißimum Imperatorem, patrem Serenißimi & prudentißimi Principis Philippi Catholici Hispaniarum Regis nunc feliciter regnantis,) & augustißimę Marię, matris inuictißimi Romanorum Imperatoris Rudolphi, qui nunc piè & moderatè imperium administrat.

Romanorum Impera. Rodulphus, & Hispaniarum Rex Catholicus Philippus regésque Portugalliæ ab Eduardi 3. stirpe deducuntur.

Sed

Sed vt nihil eorum omnium quę ad hanc Regiam successionem pertinent, omittere videamur, hoc breuiter de D. Margareta Duglasſia Sereniſsimæ Mariæ Scotorum Reginę amita, adijcere viſum eſt. Illam nimirum in matrimonium Lenoxio Comiti nobili Scoto, Rege ipſo Henrico 8. conſentiente & applaudente, datam eſſe, cui dotis nomine amplas poſſeſsiones atque terras in Anglia donauit. Ex Margareta Comes ille duos ſuſcepit filios, Henricum & Carolum. Quorum Henricus, vt erat princeps mirę pulchritudinis atque procerę ſtaturę, ita optimę ſpei, in Anglia natus, in Scotiam, vt Comitem patrem inuiſeret, veniens, & in aula quoque sereniſsimę Scotorum Reginę Mariæ aliquantulum moram trahens, & in illis prçclaris & honeſtis iuniorum Principum exercitijs verſatus, ita Reginę animum ob ſpeciem virtutis ſuę, in ſui amorem allicit, vt ſponte illum in maritum eligeret, ſentiens inde ius ſibi accreſcere, cùm ipſe Henricus in Anglia natus, & educatus fuiſſet, & ſupplere poſſet omnem defectum, ſi quis ſit. qui contra Mariam Reginam obijci poſſet: quod fuſiùs ſequenti tractatu diſſeremus.

Comitiſſæ Lenoxiæ liberi.

Hoc matrimonio inter ſereniſsimam Mariam Reginam & Henricum (quem Albanię Ducem & Roſſię Comitem creauit) omnibus & ſolennitatibus, & cęremonijs de iure requiſitis, abſoluto & perfecto, peperit inde Maria eidem Henrico filium Iacobum Heroicę indolis optimęque ſpei Principem, & ipſius ſereniſsimæ Reginæ hęredem legitimum: qui & paternæ,

Maria Scotorum Regina Henrico Stuardo Lenoxiæ filio nupſit, vnde filius optimæ ſpei princeps naſcitur.

maternęq; tum pulchritudinis, tum virtutis viuas etiam in impubere ætate præ se fert imagines.

Hęc de succeßione Regni Angliæ, & de illis qui ius aliquod in succeſſorio edicto sibi vendicant, breuiter dicta sufficiant. Sed vt ea omnia meliùs & perfectiùs dignosci poßint, gradus omnes descendentium, & collateralium ab Eduardo tertio (à quo vtraque familia, Eboracensis & Lancastrensis, ortum habuit) in tabula exprimi curauimus, ita vt totius stemmatis & succeßionis ordo ac series inde facillimè cuilibet intuenti pateat.

HIC INSERENDA EST TABVLA GENEALOGIARVM.

DE TITVLO ET IVRE SERENISSIMÆ PRINCIPIS MARIÆ SCOTORUM Reginæ, quo Anglici Regni succesſionem ſibi iuſtè vendicat, Libelli pars altera,

In qua etiam aduerſariorum obiectiones diluuntur.

ASSERIMVS ergo legitimam Anglicani Regni hęredem (quam Angli peruulgata voce Apparentem vocant) eſſe eam fœminam, quæ propter ſingulares, ac penè diuinas dotes, quibus vel natura eam egregiè, vel Deus magnificè cumulauit, digna planè ſit, vt Regnum non dico Anglicanum longè nobiliſsimum, ſed etiam quodcunque aliud, aut dignitate excellentius, aut amplitudine maius, hęres obtineat, ac Regina adminiſtret.

Quanquam dignitati ipſius & amplitudini in hoc genere nihil tribuendum cenſeo (abſit enim, vt aliorum ius, ſi quod ſit, cuiuſque dignitas excludat) niſi enim rationum momentis clariſsimè demonſtraro, & iuſtitiam ipſam, ac omnes planè leges cum huius Principis dignitate omnino congruere, huic dignitatis ſola laus maneat integra, alijs ius omne, ſi quod illis Deus & lex tribuerit, ſartum tectum ſeruetur.

D Iam

Iam verò cùm & Deus, & natura, & lex, hoc eam fœminam expectare iubeant, cuius titulum & ius Regni præsenti oratione prosequor (eam dico præstantissimam Heroinam Dominam Mariam Scotiæ Reginam) spero fore, vt postquàm æquus lector ius successionis eius attentè introspexerit, & diligenter examinauerit, si antè erat ei persuasum, in verissima sua opinione multò magis confirmetur: si non erat, aut si contrarium planè senserat, his argumentis victus, mutet sententiam, & iustissimis de causis veritati cedat.

Regina Scotiæ legitima regni Angliæ hæres.

Ius igitur huius Serenissimæ Principis sicut est clarissimum, maximeque perspicuum, ita & diuinæ legi, & naturali, & municipali huius Regni, & omnium ferè consequenter Regnorum est proculdubio maximè cõsentaneum, vtpote ex maxima sanguinis Regij propinquitate natum atque profectum.

Regina est, filia Reginæ, patre Iacobo nata Rege Scotiæ, qui filius erat Margaritæ sororis Henrici Octaui Regis Angliæ natu maximæ, cuius Margaritæ filia quoque est Domina Lenoxiæ, sed ex posteriori marito. At verò Do. Francisca, quam non ita pridem Henricus tùm Marchio Dorcestrensis, pòst Dux Suffolciensis, vxorem duxit, & Do. Eleonora, quæ Comiti Cumberlandiæ nupsit, earúmque soboles, ex Maria omnes descendunt Galliæ Dotaria (vt vulgo loquuntur) sorore memorati Henrici Octaui, natu minima, quam Carolus Brandonus Dux Suffolciæ coniugẽ acceperat.

Possem hìc antiquiora tempora in medium proferre, & à multis retrò seculis etiam ante victoriam Norman-

mannorum, pręstantissimos Angliæ Reges commemorare, ex quorum Regio sanguine illa descenderit. Quod quidem non est nostri instituti, & ius successionis hactenus solùm vrget, vt inde constet eam in Angliæ Regno certè pro alienigena, seu omnino extranea, reputandam non esse. Sed ea quæ iam proferre volumus argumenta, & probationes ad confirmandum ius successionis eius, & titulum Regni Anglicani hęreditarium, ex his legibus, diuina scilicet & naturali, colliguntur, illisque tanquam fundamentis innituntur. Quæ non solùm ad politicas cæterarum gentium administrationes assumptæ, sed inter antiqua iura Angliæ & consuetudines patrias primùm ratione comprobatæ, deinde longo vsu, & temporis diuturnitate receptæ, iam inde à prima politiæ eius Regni institutione, ad hodiernum vsque diem obseruatæ sunt.

Non defuere tamen malè affecti homines, qui artificiosis quibusdam argumentorum nebulis acies humanarum mentium pręstringere, & clarissimam lucem huius certissimi tituli, si fieri posset, ne cęteri eam viderent, prohibere conati sunt, dum eam aut extinguere penitus, aut obscurare saltem exoptarent, verbo quidem, & tanquam alicuius legis specie, re autem vera contra legem: & prętextu Senatusconsulti seu statuti Parlamenti, re autem vera contra veram Parlamenti sententiam.

Nobis autem, etsi in hac causa tam certis & solidis fundamentis nixa, rationis & legis, defendendi partes sustinere, satis esset, & (quod est facillimum) solùm ea

declinare, quæ ab aduersarijs obijciuntur, quæq; à communibus, quas vocant, legibus, & municipalibus Regni statutis, maximè petuntur: tamen, vt æquitati causæ nostræ, & firmitati accedat aliquid, plurimas magni momenti rationes proferemus in medium, atque eas grauissima legum auctoritate sic confirmabimus, vt ab aduersarijs nullo modo rectè refelli queant. Itaque omnino speramus, hoc libello perlecto, & quid habeat diligenter introspecto, nullum posteà scrupulum, nullam vel leuissimam de iure successionis dubitatiunculam candidis hominum animis adhęsuram. Quorum expectationi, & conscientiæ, etsi hac disputatione magnopere confidimus abundè satis nos esse facturos, nec de æquitate causæ nostræ quicquam omnino dubitemus: tamen fatendum est modum ipsum & viam disserendi hac de re difficultatibus maximis esse refertam. Istiusmodi enim causæ Principum sicut rarissimè contingunt, ita rariùs inuenias lege aliqua aut decreto de illis disceptatum, disputatum, definitum: & si interdum fiat, vt quędam senatusconsulta eò spectare videantur. Neque enim patria Angliæ iura, nec ipsum corpus Romani siue ciuilis iuris de dominatione Regia, sed de priuatorum hominum causis agit. non enim solent Principes aut Reges subijcere sese legibus, quibus soluti sunt.

Instit. de iust. & iure §. fin.

Nihilominus ad æquitatem causæ nostræ meliùs declarandam, etsi negare nolim quòd ex iure municipali sciri oporteat, ad quem Regni successio pertineat, & quòd patrijs legibus tam Regum, quàm subditorum

L. Princeps ff. de legib. l. digna vox C. cod.

ius

ius hęreditarium decerni debeat, aſſero tamen inter ius Regis, & aliorum intereſſe plurimùm. Non enim regiæ ſucceſsionis titulum regulis & axiomatis patrij iuris ita teneri, vt eadem via & ordine in hoc, atque in priuatorum hominum hæreditatibus decernendis & examinandis procedatur.

Ad cuius rei confirmationem conſideremus municipalia, ſeu communia, quæ vocant, Regni Angliæ iura, quęnam ſint, & eorum ſanctiones, quibus nitantur fundamentis, quem locum habeant, quatenus admittantur.

Illud certè eſt perſpicuum, commune ius Angliæ non eſſe legem ſcriptam, ſed generali tantùm totius Regni conſuetudine niti, vt ex tractatu Ranulphi Glanuillenſis vetuſtiſsimi & celeberrimi auctoris apertiſsimè conſtat, qui regnante Henrico ſecundo, cùm eidem eſſet intimus à cõſilijs, & in iure dicendo Prętor primus, de legibus & conſuetudinibus Angliæ librum ſcripſit. Teſtatur hóc alterius etiam Dicæarchi (nos Iuſtitiarios vocamus) clariſsimi viri Do. Forteſcui liber ille, quem iam tùm Regni Cancellarius hóc argumento compoſuit, de laudibus legum Angliæ, & per ea quæ ſcribuntur 33. tt. b. 51. & per E. 4. 19. Porrò autem illa, quæ apud Anglos conſuetudo dicitur, illa eſt tantùm, quæ longo vſu & multorum annorum praxi in forenſibus regiæ Majeſtatis Curijs perpetuò apud illos agnoſcitur, & conſeruatur, & meritò pro lege habetur. Qua in re antiquam Lacedęmoniorum politiam imitari videntur, qui multis iam pręteritis ſeculis olim

Ius patrium Angliæ conſuetudine magis quàm lege ſcripta nititur.

In prolog. ſuo eiuſd. li. fo. 1. & 2. De dicto Ranulpho vide Giraldum Cambrenſ. in Topographia de Vvallia.

Forteſ. de laud. leg. Angl. C. 17.

Inſtit. de iure nat. gen. & ciu. §. ex non ſcript. l. de quibus. & l. diuturna. ff. de legib.

Remp. suam prudentissimè, magnáque cum sui nominis gloria per leges non scriptas administrarunt, cùm contra apud Athenienses leges scriptæ prorsus obtinerent.

Hoc cùm vsque adeò verum sit, vt nec ratione aliqua, nec auctoritate negari queat, illud prçterea considerandum est, vtrùm ex hac perpetua consuetudine ius Regni quoque hçreditarium examinari, probari, & definiri possit, an non. si potest, prçteritorum temporum testimonijs ostendendum est, ita factitatum fuisse: alioquin, qui contrarias partes sequuntur, asserunt tantùm, & non probant. Non enim dici potest, quicquam consuetudine aliqua teneri, aut obligari, nisi ita fieri priùs consuetum fuerit, & nisi ex vi eiusdem consuetudinis. Atqui certissimum est non habere Anglos vel vnum aliquod exemplum ex curijs Regijs, quod de tali consuetudine proferre queant. Dicam ampliùs, quin & probabo facilè, nullam prorsus regulam iuris Anglici communis siue generalem seu specialem, aut iam ab aduersarijs esse citatam, aut in posterum citari posse, quæ ad Regem ipsum obligandum, regníque successionem decernendam pertinere, & extendi iusta aliqua interpretatione existimata fuerit. Illud certè non negabo, multas regulas iuris proferri posse, quæ prçrogatiuam Regis, & iurisdictionis Regiæ prçeminentiam ostendant, sed quæ illum obligatum & obnoxium teneant, ne vnam quidem, vti iam dixi, proferre possunt.

Asserunt denuò aduersarij in libello, quem de hoc eodem successionis iure ediderunt, hoc esse in Anglo-

rum iure clarissimum axioma, neminem, qui extra Angliam natus sit, & patre ac matre, qui Regi Anglorum subditi non sint, editus, cuiuscunque hęreditatis in Anglia potiundæ esse capacem. Quod axioma cum generale sit, nulla verborum exceptione restrictum, ad regni quoque successionem necessariò extendendum esse adiungunt. Quid verò per Anglorum ius significari velint, non satis intelligo. Sin illud sit, quod existimo, ius commune seu municipale Angliæ, non est sanè in iure communi Angliæ tale aliquod axioma, sicut postea clarissimè demonstrabo. Si verò disputandi causa hoc loco concederetur, esse hoc vniuersale axioma in eodem iure communi, tamen dum ita esse vniuersale asserunt, vt nullam patiatur exceptionem, aut inscitiam suam produnt, aut verborum fidem negligunt. Constat enim apertissimè ex statuto 25. E. 3. (quod explicationem habet illius regulæ iuris, quam illos nomine axiomatis seu Maximæ insinuare arbitror) eam ad Regiam sobolem non extendi.

Vndè perspicuum euadit, non pertinere generaliter ad omnes. Quod si ad liberos Regios non extendatur, ne in cęteris quidem hęreditatibus vllis, quę à maioribus ad ipsos deuenerint, sequitur à fortiori, minus ad successorem regni & imperij ius hęreditarium obligandum posse extendi.

Atque vt planè & breuiter respondeatur testimonijs in libri aduersariorum margine notatis, nempe 5. Eduard. 3. tt, Ayle. 13. Edou. 3. tt, Bref. 3. Edou. 3. tit Coson. 42. Edou. 3 fol. 2. 22. Henric. 6. fo. 42. 11.

Henric.4 fol. 23.& 24. litleton. ca. vilenage. luce clarius apparebit ijs, qui hos libros legere, & perlustrare voluerint, nullam in illis reperiri voculam, quę vel speciem aut vmbram aliquam huiusmodi sententiæ habeat, vt regni scilicet titulus obnoxius sit huiusmodi prętensæ generali regulæ seu maximæ.

Casus ab aduersarijs propositus tantùm ad subditos pertinet.

Etenim omnes casus in memoratis libris descripti, & disceptati, pertinent tantùm ad alienigenas, vt illis auferatur potestas petendi terras, tanquàm hęreditarias, & veluti subditorum iure secundum Angliæ leges experiundi, ac litem intendendi. Nihil autem prorsus ad Regem ipsum spectat, aut eius subditos, quasi illi minus inde capaces redderentur.

Quęro enim, an ex occasione illius inhabilitatis seu impotentię, quam statuunt libri isti, vlla sit de titulo Regni controuersia? Certè nulla. Ausim dicere ne vnum quidem verbum. Id quod erit perspicuum omnibus, qui libros illos legere, & euoluere voluerint. Nec pudet tamen aduersarios ea notare pro sufficienti & idonea auctoritate, ad tuendum & efficiendum id quod cupiunt. Sed quemadmodum illam regulam iuris Anglorum de impotentia hęreditandi sic videri volunt interpretari, vt sit axioma iuris vniuersale: ita mihi videtur, quòd ignorare non deberent illud quoque axioma legis esse vel ęquè, vel magis etiam generale, quòd scilicet nullum axioma nullaue Maxima iuris ad Regem aut Regni ius obligādum extendi queat, nisi eorum in illis specialis & diserta mentio fiat, vt apparet ex varijs Prouincijs, & regulis iuris, quę non

Successio regia nulla Maxima iuris te-

minùs

minùs latè patent, quàm illa aduersariorum commentitia Maxima, nec tamen Regem, aut Regni ius obnoxium tenent.

Exempli causa. Perspicuum est illam Maximam de tenente ex gratia (quem leges Anglorum, Tenent By the courtesy vulgò vocant) absque vlla prorsus exceptione esse vniuersalem: non obligat tamen ius Regiæ successionis, nec ad eius aliquod beneficium extenditur, qui Reginam Angliæ in matrimonium duxerit. Id quod omnes Anglici iurisconsulti magno consensu disertè definierunt, cùm Philippus Rex Reginam Mariam duxisset vxorem, tametsi ad maiorem securitatem, & vt mens atque sententia tam Regis & Reginæ, quàm omnium ordinum totius Regni luculentiùs declararetur, statutum est, & in acta publica relatum, ne Rex Philippus ius aliquod seu titulum ex illa gratiosa tenentia vendicaret.

Est pręterea & illa Maxima generalis: si quis possidens fundos in Feudo simplici, absque prole mascula mortuus fuerit, relictis nonnullis liberis fœmineis, fundi inter eas æquis portionibus distribuentur. Quam Maximam in Regni successione non habere locum, cùm viri in Anglorum legibus eruditissimi viuente iam tùm Eduardo non ita pridem Illustrissimo Principe definierunt: tùm ex ipsa consuetudine seu praxi nemo vel communi sensu pręditus non facile intelligit. Ibi enim natu maxima fit hęres in toto, perindè ac si esset proles mascula.

Nec quod fundi inter filias sint distribuendi.

Generalis est, & illa Maxima. Vxor, marito de-

E fun

functo, hęres erit ex triente, & tertiam habebit partem ex optimis quibuſque coniugis ſui poſſeſsionibus. Conſtat tamen nullam vnquàm Reginam in tertiam partem Regni ſucceſſuram, vt apparet in 5. E. 3. pręrog. 21 E. 3. 9. & 28. tt. 6. & ex alijs plurimis libris.

Nec quod vxor habebit tertiam partem.

5. E. 3. tit. prer. 21. E. 3. 9. & 28. tt. 6.

Prętereà, Regula de poſſeſsione fratris, cùm ſit vniuerſalis, & indeterminata: nunquàm extenſa eſt, neque extendi vnquàm poteſt ad regni hęreditatem. Nam frater ex vno parente ſuccedet; non ſoror ex vtroque, vt ex Iudice Moylo Anglo inſigni Iuriſconſulto patet, & exemplis Regum Etheldredi fratris & ſucceſsoris Eduardi Regis & martyris, Eduardi Confeſſoris, qui frater erat Edmundi Regis, & multorum aliorum oſtendi poteſt, qui ex altero tantùm parente ex dimidio ſanguine, vt dicunt, in Regnum Angliæ ſucceſſerunt. Qualis fuit Maria quoque nuper Regina, & nunc ſoror eius. Quæ in omnibus legum Anglicarum, quas vocant, relationibus (recordis vulgo ſeu ſcriptis memorialibus) habentur, in quibus ſingulis ſeorſum Regni ſeu ſucceſsionis titulus diſceptatur (id quod quotidiana praxis tam in foro rationum, Exchequer dicto, quàm in cęteris curijs manifeſtè docet) diſponunt de rebus ſuis tanquàm hęredes inuicem ex ſucceſsione ſanguinis: quod vt facerent, ſi vulgares & priuatæ perſonæ eſſent, lege ijs non concederetur, quòd illas conſtat dimidio tantum ſanguine, vt vocant, coniunctas eſſe, nempe ex vno patre, ſed diuerſis matribus genitas,

Nec regula de poſſeſsione fratris.

Demy ſang.

L. Iuriſconſultus 55. fo. ff. de grad. aff.

Atque

atque ita cognatas dici.

Illa rursus generalis regula est in iure Anglorum, quòd executor testamenti habebit bona mobilia testatoris, & non heres. Quod tamen in causa regiæ hereditatis longè secùs se habet, vbi successor illis potietur, non executor, vt apparet in 7. tt. 4. ex Gascoyno.

Nec quòd executor habebit bona testatoris. 7. tt. 4. fol. 42.

Non minùs generalis est & illa Maxima. Siquis lesæ Maiestatis, aut Feloniæ quam vocant, conuictus sit, heres eius propter illam maculam generis, & familiæ, nisi veniam priùs consecutus, denuò suo sanguini restituatur, fundos hereditarios iure sanguinis tanquàm ex descensu adire non potest. Quæ Maxima quamuis generalis sit, non tamen porrigitur ad regiam succesionem, etiamsi decreto parlamenti declaretur reus, vt in causis Richardi Ducis Eboracensis, & filij eius Regis Eduardi quarti & Henrici septimi Regis euadit manifestum: qui cùm decreto Parlamenti pro conuictis declarati essent, nec vnquàm restituti, non tamen Eduardo quarto nec Henrico septimo fraudi erat, quo minùs in regni hereditatem iure successerint.

Nec quòd conuictus lesæ Maiestatis nisi veniam consecutus hæreditare nequeat.

Sed ad hoc videri volunt aduersarij scriptis suis satisfacere, cùm dicunt, Henricum septimum & si conuictum, Regno tamen potitum esse, tanquã iure in eum collato, eò quòd ipso facto dum ad illum delatum est, cessauit illa, vt ita dicam, inhabilitas seu incapacitas. Vbi apertè concedunt ex conuictione illa non esse

consecutam inhabilitatem aliquam ad regni succes-sionem. Et si enim dici non potest, inhabilem, aut minùs capacem esse eum, qui iam de facto regnat, & penes quem Regni possessio est: si tamen ad illud iure hęreditario capessendum prorsus inhabilis fuisset antea, tum vel inuiti fateri debent, eum non Regem iure successionis, sed vsurpatione Tyrannum extitisse. Quarè Henricum septimum verum & legitimum Regem agnoscentes, regnúmque iure in eum collatum confitentes, ex eo consequenter & directè concedunt, eum cùm nondum de facto regnaret, regni tamen iam tum capacem fuisse legitima successione obtinendi, non obstante crimine lęsæ Maiestatis, de quo conuictus tenebatur. Quod si dederint, habeo quod volo, neque est propemodum quòd ampliùs requiram.

Respondetur distinctioni aduersariorũ inter causas hominis conuicti læsæ Maiestatis & alienigenæ non subditi.

Sed illi diligentiùs tandem animaduertentes hoc illorum argumentum valere non ad id quod cupiunt efficiendũ, aliò modo occurrendum existimant, nempe aliam esse causam eius qui conuictus sit lęsæ Maiestatis, aliam alienigenæ, & eius, qui regiæ potestati subiectus non sit, namque in crimine lęsæ Maiestatis, necessitate quadam fieri, vt regni successio etiam ad hominem conuictum deuoluatur, alioqui enim ad neminem deuenturam: in causa autem alibi natorum, seu externæ, vt aiunt, natiuitatis secus esse. Ad quod porrò confirmandum similem casum quendam ponunt de I. S. Verbi gratia qui saisitus est, vt practici loquuntur de quibusdam fundis, & liberos

habeat

habeat A. & B. Iam vero A. viuente adhuc patre de crimine conuictus est, moritur deindè pater, illo nondum restituto. In hoc casu fundus ille nec ad A. deueniet, neque ad B. sed transibit ad Dominum Feudi per modum Escheti, sic enim iura loquuntur Anglorum cum bona Fisco sunt addicta. Secus autem fuisset, vt dicunt, si A. trans mare natus fuisset, patre I. S. propter crimen lęsæ Maiestatis profugo, postea verò in patriam redeunte & gignente B. deinde vita defuncto. hic enim dicunt quod B., fundos paternos hęreditabit.

Sanè verò, siquis ita regnum seu diadema posside-ret, vt per modum Escheti, quem vocant, amitti posset, vt in prędicto casu de fundo I. S. factum est, tùm fortasſis huic casui Regni quoque causa aliquo modo affinis esset. Atqui nihil tale est.

Debent porrò illud quoque considerare, Regem non modò linealiter ex descensu maiorum, sed maximè etiam per succesſionem ad Regnum tanquàm ad corpus quoddam politicum peruenire. Ex quo facile fuisset discrimen cernere inter vtranque causam, regiæ scilicet Maiestatis & I. S. subditi: atque inter fundos, qui ex superiori aliquo Domino tenentur, & regnum quod non ex terrena aliqua potestate, sed ex Deo solo posſidetur.

Quanquam disputandi causa libenter scire velim, vbi hanc suam distinctionem reperiant, quaque nitatur auctoritate. Nihil enim adscripserunt margini quod aliquam auctoritatem habeat, & ideo nisi Pytha-

gorę prærogatiuam sibi arrogent, vt ad fidem faciendam satis sit quod illi dixerint, non est quod fidem dictis adhibeamus. Illud pro certò scio, posse me testimonia in contrarium satis idonea proferre, & in propositis ab illis casibus nullum prorsus subesse discrimen. Videant obsecro 22. tt. 6. Vbi notare est opinionem Neutoni Iudicis, nempe quod casus ab illis allati distinctionem huiusmodi non admittant, sed quod in vtrisque fundus ad Dominum Feudi per modum Escheti sit. Et Prisotus Iureconsultus ac patronus in causa eius, qui iure hæreditario petebat fundos eo quod maior natu filius in transmarinis partibus natus esset, non est ausus super illum titulum stare sententiæ legis. Atque hęc authoritas contra aduersariorum distinctionem plurimùm facit, quæ maioris est momēti sat scio, quàm vlla hactenus ab illis adducta ad suum illud discrimen comprobandum. Sed si hoc illis vel maximè demus, hanc illorum distinctionem legibus consentaneam esse, & ab ijsdem profectā: regiæ tamen illæ causę, ad quas hanc distinctionem accōmodant, nullam cum illis casibus affinitatem habent, vt cœpi quidem dicere.

Verùm vt pergamus probare id quod est instituti nostri, sicut iam perspicuū euasit, quod Rex, aut Regni ius cōmemoratis hisce maximis seu generalibus axiomatis nō teneatur, sic de cęteris omnibus Maximis iuris Anglici vniuersalibus (quæ infinitę sunt) constanter assero.

Illa aduersariorum malè interpretata Maxima non

Sed vt ad eam dumtaxat Maximam reuertamur, quam illi falsò talem existimant, & quam generalem esse statuunt, eam inquam, quę est de inhabilitate personarum alienigenarum, sole meridiano clarius est,

illam nunquàm ſic interpretatam fuiſſe, vt ad regium Angliȩ diadema pertineret. Id quod ex regibus Stephano, & Henrico ſecundo conſtare poteſt. Quorum vterque & ſi alienigenȩ,&Gallus,& extra obedientiam Regis nati,& parentibus,nec ipſis immediatè Regibus, nec Regi Angliæ ſubditis,ſemper tamen legitimi Angliæ Reges exiſtimati ſunt,nec quiſquam inuentus eſt, qui eorum titulo derogauerit, aut eundem redarguerit aliquando propter conſiderationem, aut exceptionem aliquam externæ natiuitatis.

concernit Reges alienigenas, vt apparet ex Stephano Rege, & Henrico ſecundo.

At operȩprecium ſanè eſt aduerſariorũ videre ſubterfugia & euaſiones cõtra exemplũ Henrici Regis. Aiunt eũ non ſecundum ordinem iuris, ſed per capitulationẽ quam vocãt,hoc eſt in publico conuentu per cõſenſum ordinũ regno potitũ eſſe,eò quòd mater eius,per quam ad illum regnum deuenturum erat, adhuc viueret.

Replicatio contra aduerſariorũ euaſionem de Henrico ſecundo.

Sit ita ſanè, quod viuente adhuc matre,per capitulationem regnum adierit:hoc tamen non probat,inhabilem eum reputatum Regni hȩreditandi, ſed contrà potiùs habilem, & capacem extitiſſe. Et quamuis illud admiſerim,non regnaſſe eum ex ordine iuris,matre adhuc ſuperſtite,tamen mortua matre eius,quin iure Anglorumq; legibus & conſuetudinibus conuenienter ſucceſſerit, nemo hactenus dubitauit. Sic enim de omnibus Angliæ Regibus quotquot poſteà regnarunt,ſcrupulum mouere,nóſq; ad hȩredes in Scotia aut alibi diſquirendos cogere poſſent: quod nec illos velle, aut conari, vt exiſtimemus, efficit illa, quæ de eorundem prudentia apud nos conſtans eſt concepta opinio.

Audiui porrò ex his quosdam qui instituti sui hac in parte adiuuãdi causa dicerent, Henricum secundum ex matre Regina natum,& ita per regulam communis iuris Regem fuisse. Certè Imperatricis seu Augustæ filium fuisse,hoc probè scio,alicuius autem Reginæ Angliæ nequaquàm. Et si enim Matildis Augusta,mater eius,ius& titulum haberet ad regnum Angliç obtinendum, nunquam tamen illud possedit, sed per Stephanum Regem ab illius possessione prohibita est. Et ideò non potest sanè Henricus secundus,Reginç Angliç,aut omnino Regis alicuius filius rectè dici, nisi per illa verba, Infantes de Roy &c. intelligi velitis liberos remotiori gradu, qui recta linea à Rege descenderint. Hoc enim pacto verè diceretis eum Henrici primi Regis filium, quia verè filius & hæres erat Matildis Imperatricis, filiæ & hçredis eiusdem Henrici primi. Qua adeò ex re turpiter ruit aduersariorum illa generalis Maxima.

De Arthuro Richardi Regis nepote.

Itaque ad eandem tuendam & sustinendam, libentissimè ad Arthurum filium Galfridi confugiunt, qui vnus fuit ex filijs dicti Henrici secundi. Sic igitur dicunt (egregij scilicet omnis antiquitatis professores) eum ideò ne regnaret,reiectum & repulsum fuisse, quòd extra Regni ditionem natus esset. Ac verùm quidem illud est, eum extra regni ditionem natum fuisse, quod verò ea de causa repulsam tulerit, falsissimum: neque vllam habent illi authoritatẽ vnde vanam hanc quàm proferunt,opinionem astruant. Nam & ex Chronicis Anglicanis facilè ostendi potest, Richardum primum

Vt autem pax ista& summa dilectio, tam multiplici, quàm arcti orum vinculo connectatur: prædictis curiæ vestræ Magnatibus id ex parte vestra tractãtibus Domino disponente condixi-

Regem

Regem huius Arthuri patrium, cum Hierosolymitanam expeditionem susciperet, regni hęredem, vt antè diximus, designasse Arthurum. Quod factum sic ab eo omninò non fuisset, si propter externam natiuitatem minimè capax regni fuisset Arthurus reputatus.

Quamuis autem Ioannes Rex tyrannicè regnum vsurpauerit tàm contra Richardum 1. fratrem eius natu maximum, quàm hunc Arthurum nepotem, non tamen conficitur indè, quòd quia alienigena, ideò repulsam tulerit. Hoc si probare hi possent, aliquam certè rationem, & pręiudicium aliquod ad id quod volunt efficiendum, rectè adduxisse viderentur. Nunc autem nihil prorsus hactenus protulerunt, nec fieri vnquàm posse, vt quicquam afferant, compertisimum habeo.

Ex his igitur vides, optime lector, quod nec illa aduersariorum Maxima, quàm prętendunt, nec aliæ prę- terea plurimæ non minùs generales, quas antè commemoraui, cum æquitate & ratione aliqua ad vis regni obligandi trahi, aut extendi queant. Atque hęc argumenta hęque auctoritates in pręsenti ad illud ostendendum suffecerint, nempe quòd titulus regni regulus & Maximis iuris communis Anglici non subijciatur, nec per idem examinari & decerni posit. Quod si verum est, omnia, quæ contra titulum Serenisimæ Mariæ Scotiæ Reginæ, ne regno Angliæ succedat, obijciunt aduersarij, abundè refelluntur, & delentur penitus.

Sed pergamus sanè adhuc disputandi causa, & vt omnia quàm accuratisimè discutiantur, atque indè

F magis

mus, inter Arthurum egregium Ducem Britāniæ, nepotem nostrum & hæredem, si fortè sinê prole obire nos cō- tigerit, & filiam vestram matrimoniū contrahendum. &c.

In tractatu pacis inter Richa. 1. & Tancredum Regem Siciliæ. Vide Reg. Houeden. & Richardum Canonicum S. Trinitatis Londini.

magis euadant perſpicua. Iam hoc loco nonnihil aduerſarijs concedamus, ponamuſque ita ſe rem habere, vt titulus Regni huius per regulas, & Maximas iuris Anglorum communis diſceptari, ac definiri debeat: deinde ſcrutemur vlteriùs & videamus, ſit ne talis aliqua regula iuris, aut aliquod ſenatuſconſultum, quod rectè interpretatum, titulum Mariæ Scotiæ Reginæ impugnare videatur, an non. Nam quod ad linealem deſcenſum attinet ab Henrico ſeptimo & ex eius filia natu maxima, vt declarauimus, nemo, vt mihi quidem videtur, tam perfrictæ frontis eſt, vt hoc neget. Quid ergo afferri poteſt ex omnibus regulis, Maximis, & Pręiudicatis communis iuris Anglici? Ac vna ſola regula, tanquàm Maxima generalis contra eam obijcitur, quę tamen tam corruptè & deprauatè profertur, vt vix illis aſſentiendum putem, illam eſſe iuris Anglicani, aut regulam, aut Maximam. Ea ſic habet. Quiſquis extra regni limites naſcitur, & parentibus non ſubditis Regi Angliæ, non poteſt eſſe cxpax alicuius hęreditatis in Anglia. Quæ quidem regula toto cœlo à veritate aberrat. Omni enim alienigenæ & extero licitum eſt hęreditatem fundorum ſibi intrà hoc regnum acquirere, vt videre eſt tàm in 7. & 9. Eduardi quarti, quàm in 11. & 14. Henrici quarti. Et quamuis exiſtiment nonnulli talem acquiſitionem ſeu emptionem in vſum Regis cedere debere, tantiſper tamen communi omnium ſententia penès alienigenam manet hęreditas, donec Rex ad eandem in-

Falſa Maxima ab aduerſarijs edita.

7. E. 4. fo. 28. 9. E. 4. fo. 5. 11. tt. 4. fol. 25. 14. tt. 4. fo. 10.

titu

titulatus ſeu ad ius eius inſcriptus fuerit, facto memoriali ſcripto ad eius rei, quam vocant, Recordationem. Atque hoc pacto homo prorſus alienigena capax eſt hęreditatis infrà hoc regnum. Vndè fit conſequens neceſſariò, hanc aduerſariorum generalem Maximam, quam tantoperè oſtentant, in nullam prorſus regulam iuris Anglicani euanuiſſe. Et ſi ita eſt, tùm multa protulerunt illi aliena à re propoſita.

Sed videamus tamen adhuc, an ſit reuera aliqua in iure Anglorum Maxima, huic quæ ab aduerſarijs adfertur ſaltem vicina, quęque huic non multùm diſsimilis videatur, ex qua argumentum fortè contra titulum dictæ Mariæ Scotiæ Reginæ deduci queat. Vna eſt regula, verbis quidem non planè diſsimilis ei quam allegarunt aduerſarij, quæ quidem habetur & declaratur ex ſtatuto quodam edito anno 25. Eduardi tertij Regis. Vbi propoſita hac quęſtione, vtrùm infantes extra dominium Angliæ nati, ius petendi hęreditatem infrà idem dominium eſſent habituri, in illo quidem ſtatuto decretum eſt, quòd omnes infantes hęredes, qui ab illo tempore extra dominium Regis naſcituri eſſent, quorum parentes iam tùm illis naſcentibus ſubditi erant dominio Regis, ijſdem fruerentur beneficijs, & commoditatibus, quibus cęteri ad hęreditates infra dictum dominium habendas & capiendas.

Vnde debita & iuſta ſtatuti interpretatione inferri poteſt, ſicut hactenus vulgò interpretatum fuit,

commune ius Anglorum tale ſemper fuiſſe, hodieque eſſe, vt nemo extra dominium Regis Angliæ natus, cuius parentes eidem dominio non eſſent ſubditi, idoneus eſſet ad petendum, aut omnino hęredis nomine vllam hęreditatem infra idem dominium petere poſſet. Quam ego regulam eandem eſſe ſuſpicor cum illa imaginaria Maxima, quam inſinuant aduerſarij. Quæ tamen vt ad omnes in vniuerſum hęreditates extendatur (quod illi velle videntur) nulla cum ratione fieri poteſt. Nam vt antè dixi omnis alienigena & externus hęreditatem per acquiſitionem capere & habere poteſt. Et ſi alienigena vxorem ducat hęredem, tam penès illum, quàm penès vxorem eſt hęreditas: alienigena autem hoc pacto acquiuiſſe dicitur. Nemo dubitat quin poteſtatem habeat acquirendi fundos ad ſuum vſum, ſuccedendi autem tanquàm hæres alicuius dominio Anglicano ſubditi, nullo modò. Apparet igitur ſatis perſpicuè, regulam illam etiam inquilinos obſtringere, & ad ſucceſsiones duntaxat hæreditarias, non ad fundos acquiſitos pertinere.

Statutum Eduardi tertij an. 25. concernit hæreditatem non acquiſitionē.

Nunc ergo illud videamus, an hæc ipſa commemorata Maxima, iuſta aliqua interpretatione ad Sereniſsimam Mariam Scotiæ Reginam, quod ad eius titulum regni Anglicani attinet, trahi poſsit. Crebrò aduerſariorum ſermone vſurpari ſolet, eam in Scotia natam eſſe, quæ regio dominio Anglię nō eſt ſubiecta, parentibus porrò non ſubditis, ideóque inhabilem eſſe ad Anglię regnum hæreditandum. Vbi etſi primo ſtatim loco & debito reſpondendi ordine argumentationis

huius conſequentiam meritò negare poſſem, veritatem tamen antecedentis iam primùm ex Anglorum mente ac ſententia lubet diſcutere, deinde videbimus de conſequentia. Id verò eo animo tantùm pręſtabo, vt aduerſariorum imprudentiam coarguam, qui dùm ſibi maximè cauere optant, minimè omnium prætenſis ab Anglico regno iuribus cauent. Neque hinc sereniſſimis Scotorum Regibus, qui ſupremam in ſuos poteſtatem, neque à quoquam quouis iure dependentem, & obtinuerunt ſemper & obtinent, obtinereq́; ſe apertè profitentur, ac ſuo ſibi iure vendicant, pręiudicium aliquod creari velim. Et quidem vt ad argumentum tandem deueniam, Reginam Scotiæ in Scotia natam fuiſſe concedendum eſt neceſſariò: Scotiam verò ſubeſſe ditioni Anglicanæ, quamuis sereniſsima Scotiæ Regina, & eius omnibus Scotiæ ſubditis iure, vt dixi, pernegantibus, plurimi tamen in Anglia & ex eruditis, & ex vulgo homines omnino aſſerunt & affirmant, & varijs præſertim hiſtorijs ad id inducti & perſuaſi, nec non Regiſtris, Recordationibus ſeu ſcriptis memorialibus, & inſtrumentis homagij, quod appellant, quæ in Archiuis illius regni extare dicunt, in quibus fieri mentionem aiunt, quod Reges Scotiæ agnouerint Angliæ Regem pro ſuperiore Domino Regni Scotiæ; eique homagium præſtiterint. Quod ſi verum ſit (etſi reclamantibus vt iam dixi Scotis, qui verè aſſerunt illud homagium, quod Fealtie vocant, pro quibuſdam duntaxat terris & regionibus in ſeptentrionali parte Angliæ à Scotorum Regibus olim poſſeſsis, exhibitum fuiſſe,

Scotiam dominio Angliæ ſubiectam eſſe Angli affirmãt.

Northumbria ſcilicet, Cummerlandia, Huntingtonia, & alijs regni Angliæ prouincijs limitibus Regni Scotiæ proximis, quæ iam ſub Scotorum ditione eſſe deſierunt) neceſſe omnino eſt ex iure communi Anglorum regnum Scotiæ infra dominium Angliæ cenſendum & reputandum eſſe. Etſi autem iam inde à multis annis nullus Rex Scotiæ ſeruitium illud Angliæ Regibus pręſtiterit, non eſt tamen cõſequens ex Anglorum iure, ideo Regnum Scotiæ tùm cùm pręfata Domina Maria Scotiæ Regina nata eſſet, qui fuit annus regni Henrici Octaui triceſimus quartus, extrà dominium Regum Angliæ fuiſſe, nullamque illis obedientiam debuiſſe: ſic enim Anglorum leges apertè dicunt, ſi tenens debitum ſeruitium pręſtare Domino recuſet, non ideo tamen dominium ſuum amittere eum, qui Dominus eſt, ſed fundos nihilominùs ſub poteſtate eius & dominio ſiue ſignoria, vt vulgò aiunt, permanere.

Sed obijciet fortè aliquis per hanc eandem rationem, Galliam quoque dici regno Angliæ ſubditam, quandoquidẽ ante annos cẽtum & paulo ampliùs diadema Galliæ iure penes Angliæ Reges fuerit, quorum adhuc ius & titulus inconcuſſè upud Anglos manet.

Ad quod reſponderi poteſt, inter titulum vtriuſque regni, Galliæ ſcilicet, & Scotiæ, quem ſibi vendicant Reges Angliæ, latiſsimum diſcrimen eſſe. Quamuis enim regnum Galliæ iure tenuiſſe & poſſediſſe Angliæ Reges fateamur, tandiù tamen dum aliorum occupatione à dicti Regni poſſeſsione Angli excludũtur, illud horum dominio ſubeſſe nullo modo affirmari poteſt:

prȩſertim ſi hoc conſideremus, quemadmodum ex eo tẽpore occupati illius Imperij, Galliæ populus à ſubiectione & obedientia Anglorum Regum prorſus defecerit, ſeſeque totum occupantibus Gallis dederit atque ſubmiſerit. At de regno Scotorum longè ſecùs eſt.

Non enim in eo conſiſtit titulus ſeu ius, quod in regnum Scotiæ ſibi Angliæ Reges arrogãt, vt illud poſsideant, ſed vt pro eodem regno ipſis homagiũ ſeu debiti ſeruitij ſignificatio exhibeatur. Quod etſi Scotiæ Reges Anglorũ Regibus prȩſtare iam inde à multo tempore intermiſerint, non ideo tamen eoſdẽ Scotiæ Reges rectè & iure vſurpatores iniuſtoſue poſſeſſores dixeris.

Atque ita optime lector, videre eſt iudicio omnium cum æquitate & abſque vllo animi affectu ſentientium, ex Anglorum quidem iure & teſtimonijs, Scotiæ regnum infrà dominium Angliæ homagio præſtando obnoxium, & olim fuiſſe & adhuc etiam eſſe. Vnde falſa & nulla prorſus apparet ex eodem Anglorum iure prima illa ſeu antecedens propoſitio. Ex quo tamen non infertur, Galliæ quoque regnum ſimiliter dici poſſe Angliæ dominio eſſe obnoxium, propter eam quam ſuprà poſui, claram & manifeſtam diſcrepantiam.

Sed ſit ita, vt quidam aduerſarij volunt. Quid enim ſi hoc & Reginæ Scotiæ & eius ſubditis, & aduerſarijs quoque aſſentiremur (quod etiam Scoti apertè profitentur, ſuoque ſibi iure vt dixi, vendicant) Scotiam ſub dominio Angliæ non contineri? certè conſequentiam nihilominus nullo modo poſſe conſiſtere apertiſsimum eſt, ídque tribus maximè ex cauſis, Prima

Cauſæ, cur titulus regni illa imaginaria Maxima contineri nequeat.

est, quòd nec Rex nec titulus Regni (vt quorum in illa fictitia maxima non habetur specialis mentio) intelligi queant intra illius Maximæ ambitum comprehendi, sicut ex plurimis consimilibus Maximis in iure Anglico generaliter enunciatis, iam ante abundè declarauimus. Altera causa est, quòd regnum ipsum ob duos hosce respectus non potest intelligi verbis illius Maximæ contineri, nam primùm illa Maxima duntaxat alienigenas reddit inhabiles ad petendam hęreditatem aliquam, quæ infra Angliæ dominium sita sit: atqui regnum Scotiæ saltem ex Anglorũ iure, vt supra diximus non infra Angliæ dominium sed ipsissimum est dominium. Exempli causa, verum est omnes fundos seu terras sub Regis dominio positas, ex Rege mediatè vel immediatè teneri seu possideri: Regnum vero ipsum (in quo solo consistit Regis dominium) ex Rege teneri? quis nisi falsò & ineptè dixerit? absque regno enim nec Rex, nec ius dominij potest existere: vnde nec est regale aliquod dominium omnino, tantisper dum inter Competitores causa agitur, antequàm ad certam aliquam personam regnum delatum fuerit. Quarè cùm regnum ipsum infra dominium Anglię dici nequeat, certè nec infra illam Maximam contineri verè dici potest. Deindè id adeò ex hac quoque cõsuetutine euadit perspicuum. Illa enim Maxima inhabilem reddit alienigenam ad petendos fundos duntaxat hæreditarios tanquã ex lineali descensu à suis maioribus. Non enim extenditur ad fundos acquisitos ab alienis, vt antè satis probauimus. Atque ita ad regnum illa Maxima pertinere

Absque regno seu diademate, nec Rex, nec dominium esse potest.

nere nequit, vtpotè quod incorporatio quędam eſt, ſeu res incorporata, cuius obtinendi ius ſeu titulus non vulgato more priuatarum hęreditatum ad poſteros deſcendit, ſed per ſucceſsionem tranſit, vt cęteræ incorporationes.

Nemini dubium eſt, quin Prior religioſorum natione exterus, non inquilinus, tempore pacis ſemper potuerit nomine incorporationis ſuæ fundos repetere. Similiter & Decanus, & paſtor, alienigenæ, non inquilini, reſpectu incorporationum ſuarum terras petere poterunt, illa commentitia Maxima non obſtante, vt liquet cũ ex varijs caſibus, quos habent ipſi iuris Anglici codices, tùm ex ſtatuto tempore Richardi ſecundi edito. Quamuis autem vulgato more, quaſi ex deſcenſu, regnum ſemper tranſierit, propriè tamen non eſt eius deſcenſus, ſed ſucceſsio. Atque hanc rationem affert lex cur cum Regibus in rebus omnibus plùs concedatur, vel etiam indulgeatur, quam priuatis hominibus: nequeat tamen Rex conceſsiones ſuas & litteras patentes poſteà propter ætatis defectum ſubterfugere, eáſque non habere ratas & confirmatas, quod alij infantes poſſunt: ſed quoad regnum & Regalem poteſtatem, ſemper maturæ ætatis fuiſſe reputabitur, quemadmodum Paſtor, Vicarius, & Decanus, alięque perſonæ quęcunque incorporatæ reputabuntur. Qui ſecundum leges dici non poſſunt infrà ætatem exiſtere reſpectu incorporationum ſuarum, quamuis vnius tantùm anni ſit incorporatio.

Pręterea non poteſt Rex, niſi decreto Parlamenti

40. E. 3. fo. 10. 13. E. 3.

Tit. bref. 264. 16. E. 3. iurans defait. 166. 17. E. 3. tit. ſcire fac. 7.

Decanus, Paſtor, Prior, alienigenæ, poſſunt nomine incorporationum ſuarum fundos petere.

An. 3. R. 2. 6. C. fo. 3. 21. tit. droit. 26. lib. Aſſ. P. 54. 12. li. Aſſ. tit. Enfant. 13. tt. 8. fol. 14. 7. E. 4. fo. 10. 16. E. 3. iurans de fait. 9. tt. 6. fo. 33. 35. tt. 6. fol. 35. 5. E. 4. fo. 70. 49. li. Aſſ. A. 88. 22. tt. 6. fo, 31. 13. tt. 8. fo. 14.

iure declinare, aut auersari litteras patentes ab eo concessas & datas, qui iniustè regnum per tyrannidem occupauit, non magis quàm ceteræ personę incorporatæ, eius concessiones subterfugere aut declinare poterunt, qui loca eorum iniustè tenebat. Atqui in descensu hęreditario iura Angliæ secus habent. Ibi enim licet hęredi irritum habere omnem titulum à quocunque decessore datum aut concessum, cuius ipsius titulus, aut ius ex lege non valuisse conuincitur. Ex quibus omnibus perspicuum est, Regem suo regno incorporatum esse, & illud successione propriè, non solùm ex descensu possidere. Atque hęc iam secunda causa est, ex tribus quas initio proposui, cur neque Rex, neque regnum dici queant verbis illius generalis Maximæ compręhendi.

Rex quoad regalem potestatem semper est maturæ ætatis.

Tertia verò, & omnium pręcipua causa est, eò quòd in dicto statuto, cui nititur, & ex qua desumpta est hęc quam sibi aduersarij fingunt, Maxima, disertè & expressè excipiuntur ab illa Maxima per hęc verba (infantes de Roy) liberi à sanguine regio descendentes. Quibus verbis valde abutuntur aduersarij, dum ea restringunt, & ad primum duntaxat gradum extendi interpretantur, cùm illa ampliorem, latiúsque patentem significationem rectissimè admittant, ídque adeò tribus ex causis.

Liberi Regis disertis verbis ab illa Maxima excipiuntur.

Primùm hoc vocabulum (liberi) in iure ciuili, cui (infantes) vsitata & primigenia dictio illius statuti gallicè scripti, planè æquipollet, gemina & peculiari sua significatione non solùm liberos in primo gradu, sed cęteros quoscunque indè descendentes complectitur.

L. liberan. ff. de verb. sign.

Ver

Verbi gratia, cùm dicit lex, Manumiſſus aliquis, aut libertate donatus, nullam litem intendat contra liberos patroni, ſeu eius qui manumiſit, niſi impetrata priùs venia. Hîc non tantùm primus gradus, ſed cęteri quoque continentur. Tale eſt & illud in lege xij. Tabularum. Primus locus ſucceſsionis poſt mortem parentum inteſtatorum debetur liberis. Hæc ſucceſsio tam ad remotos gradus pertinet, quàm ad primum. Imò verò in omnibus cauſis cum fauore interpretandis (qualis noſtra eſt) hęc vox, filius, nepotem etiam continet, & ſi non proprietate vocabuli, interpretatione tamen in eiuſmodi rebus omnibus admittenda, de quibus lex diſponit.

L. ſed & ſi, de in ius vocando Inſtit. de hæred. ab inteſt. L. Lucius ff. de hæred. inſtit. l. iuſta. & l. natorum & l liberorum de verb. ſign. l. 2. § ſi mater ad S. C. Tertul l. filius Ad. S. C. Maced. l. Senatus de ritu nupt. l. quod ſi nepotes ff. teſt. cum notatis ibidem.

Iam quod ad Gallicam dictionem, Infantes, attinet, dicimus eam æquè ad cęteros deſcendentes, atque ad primum gradum referri, qua in re eorum appello iudicium, qui eius linguæ periti ſunt. Anglicè propter inopiam linguæ non habent Angli vocabulum, quod illi gallico, Infantes, aut latino, liberi, prorſus reſpondeat. Pro quo abutuntur impropriè quidem, vt poſſunt tamen, hac dictione (Children). Certè Hiſpani etiam illam vocem (Infantes) in hac ampliori ſignificatione vſurpant, cum hęredis deſignati proximum hęredem, Infantem Hiſpaniæ, nominant: quomodo nuper defunctus D. Carolus de Auſtria appellatus eſt, dum adhuc viuerent Pater & Auus eius.

Gallica vox (infãtes) equipollet latinæ dictioni (liberi)

Si igitur dictio ſtatuti primigenia, per quam illa Maxima declaratur, naturaliter & propriè ad omnes deſcẽdentes pertinere poterit, quid eſt, quòd nos eam reſtrin-

gamus, & ad primum duntaxat gradum coarctemus, prȩter id quod alioqui natura vocabuli, aut ipſa ratio ferre poſsint?

Aui nepotes ſuos vocant filios.
L. Gallus §. inſtituens ff. de liberis & poſt. l. ff. C. de Impub. alijs ſubſtant C. 1. 44.
Pater & filius idem quodã modo in perſona & carne reputantur.

Exiſtimo enimuerò aduerſarios difficulter admodum bonam aliquam & ſolidam rationem reddituros, cur inter hos caſus diſtinguant, & diſcrimen ponant. Contra autem, nobis pro ſecunda cauſa ex tribus pauló antè propoſitis, non contemnendæ ſuppetunt conſiderationes valdeque ſanè probabiles, verbi gratia, quod Aui nepotes ſuos nõ modò liberos, ſed filios etiam ſuos tanquam plauſibiliori nomine appellant. deinde quod defuncto filio (Auo ſuperſtite) non ſolùm amor, & affectus aui, ſed etiam quodcunque ius & titulum tam lege quàm ſanguinis propinquitate habebat filius, omnia ad nepotem tranſeunt & deuoluuntur, qui patris ſui locum reprȩſentat & ſuſtinet, cum quo vna quodammodo perſona eademque caro reputatur. Hanc igitur coniunctionem tam arctam, intimam, & naturalem quare ſeparabit aut ſeiunget natalis tantùm loci, hoc eſt, rei extrinſecùs aduenientis nuda planè & frigida conſideratio? huc adde abſurditates multas & magnas, quæ indè ſequi atque oriri queant. Etenim plurimi Angliæ Reges tam ante tempora Eduardi tertij (quo regnante editum eſt hoc ſtatutum) quàm poſt, filias ſuas Principibus exteris, atque ijs interdum non prȩſtantiſsimis & maximis, in matrimonium elocarunt: quod nunquam profecto feciſſent, ſi illud cogitaſſent, dum ornare ſuam progeniem, & amplificare magnitudinem eius ſtuduiſſent, eò ſpectare hos conatus ſuos, vt eam ab

Abſurdum & inconueniẽs, legitimum ſucceſſorem excludere tãtùm propter locum natalem.

here

hȩreditate huius tanti tàm ampli, támque illuſtris Regni excluderent. Quod contingere potuiſſet, ſi filia, quæ filium aut filiam haberet, ſuperſtite patre deceſsiſſet. Hic enim illa commentitia Maxima liberis, ne Auo ſuccederent, obſtitiſſet.

Hȩc abſurditas maior & notabilior fuiſſet ſi in tempora Henrici ſecundi aut huius Eduardi, aut Henrici primi & ſexti incidiſſet, cùm huius regni dominia tam longè, latéque apud alias nationes tranſmarinas aucta erant atque amplificata. Nunquàm tamen apparuiſſet abſurdius, ſi quod tale accidiſſet, quod fieri certè potuiſſet, quàm hac noſtra recenti memoria, propter nuptias non ita pridem inter Philippum Regem & Mariam Reginam initas.

Poſito enim quod eorum filia externo Principi nupta, ante illos mortua fuiſſet, relicto filio qui patrem & auiam ſuperuixiſſet, illis denique alium non habentibus ſanguine & genere ſibi tàm propinquum, hunc filium illa nuper conficta Maxima miſerabiliter & contra naturam ipſam valdè immaniter à ſucceſsione regni Angliæ excluſiſſet, & idem Angliæ Regnum ab hȩreditate regnorum Hiſpaniæ & vtriuſq; Siciliæ cum pertinentibus: Ducatus Mediolanenſis, & aliarum terrarum atque dominiorum in Lombardia & Italia: Ducatum Brabantiȩ, Luxemburgi, Geldriæ, Zutphaniæ, Friſiæ: Comitatuum Flandriȩ, Arteſiæ, Hollandiæ, Zelandiȩ, & Namurci: Nouarum denique terrarum, quæ iampridem inuentȩ ſunt, & in partem regni Hiſpaniȩ reputantur, quȩque (niſi fallor) duplo aut etiam

triplo ampliùs in circuitu continent, quàm cęteræ omnes modo enumeratæ prouinciæ. Atqui hæ omnes regiones ex illo matrimonio iure ad dictum filium, si talis aliquis natus fuisset, deuolui & deuenire debuissent. Quod si virtute huius egregiæ Maximæ, aut ille à Regno Angliæ, aut Angliæ regnum à dictis regionibus hęreditãdis exclusum fuisset, possetne hac in causa reddi aliqua ratio cur hanc, quæ vulgò ita censetur, Maximam tueamur? aut potuissetne vllo modo fieri, vt in Anglia rigidam hanc Maximam exactè obseruando, commodum aliquod indè regno nasceretur, quod vel centesimam partem intolerabilis damni, regno, regníque vero hęrede miserè spoliatis, resarciret?

Sed ad vitandam hanc exceptionem, quæ regij sanguinis propria est, dixerit fortasse quispiam priuilegium illud quidem fuisse concessum liberis regijs, non respectu succeßionis regni, sed aliarum terrarum, quæ ad ipsos à maioribus deuenirent. Quod etsi facilè admitti, & rectißimè concedi posset, negari tamen non potest, quin, quòd illud ipsum priuilegium proli regiæ, alijsque ab eodem sanguine descendentibus concederetur, in causa fuerit regia dignitas, decus, & amplitudo, quam obtinebat pater, & insignis illa obseruantia seu reuerentia, quàm lex eidem meritò deberi vult atque pręstari.

Tollitur illa euasio, priuilegium regię prolis non respectu regni, sed aliarũ terrarum, esse concessum.

Si igitur priuilegium, quod regni seu regiæ Maiestatis causa proli regiæ concedit Lex, illud regno seu regiæ ipsi Maiestati detrahere atque auferre aduersarij conantur, facinus committunt ab omni ratione alie-

num

num, taléque quod cum regulis artificiosæ ratiocinationis pugnet, in quibus dicitur, Propter quod vnum quodque, & illud magis.

Ad hęc illud libenter scire vellem, qua ratione fieri dicas, vt sanguine regio extra dominium Angliæ nati, fundos quidem infra regnũ hoc tanquàm hęredes maiorum suorum obtinere posint, regnũ autem non possint. Esset profectò, vt ego iudico, ab omni ratione alienisimum. Contrarium verò ipsa vis rationis euincit, cogítq; fateri, nempè vt de vtroq; idem iudiciũ faciamus Imò lex maiora & ampliora priuilegia atq; beneficia in regni succesione liberaliùs largitur. Sãguis enim regius vbicunque cõpertus, instar pretiosi & eximij thesauri æstimabitur, decúsq; ac dignitatem suã apud populum, simúlque ius suum, quando debetur, omne reportabit.

Sanguis regius vbiuis decus, & dignitatẽ suam reportat.

Ex lege ciuili ius hęreditarium priuatorũ hominum intra decimum gradum compingitur & coarctatur. At sanguis regius excurrit longiùs, vsque eò dũ talis aliquis inueniri queat: cum quo affinitatem cõtrahere magnopere semper cõcupiscunt victores maximi & potentissimi, qui ad eius potẽtiam & vires respicientes, infirmitati & debilitati sui Tyrannici gladij non sine causa vehementer metuunt. Hac de causa Henricus primus ob eruditionem & prudentiam dictus Beauclerke, hoc est, bellus clericus, libentisimè sese cum antiquo Saxonum sanguine regio cõiunxit, & copulauit. Qui in regia succesione continuè iam indè ab Aluredo pręstantisimo Rege perdurans, morte optimi Regis Eduardi intercisus est: & iterum per Mathildis nuptias, quæ in

Vide Anton. Corsetum de potest. & excell. Regi q. 106.

Victores libenter se cõiungunt cum sanguine regio.

Henricus primus.

quarto ab eodem Eduardo gradu, linealiter descenderat, restauratus, quasique reünitus. Ab hoc Eduardo Regina Scotię, vt antè declarauimus, hanc generis sui nobilitatem amplissimam & splendidissimam traxit. Hę igitur alięque plurimę rationes & causę adduci possent ad veram sententiam illius legis, de quâ agimus, discutiendam & declarandam.

Quę duę causę & considerationes si nondùm aduersarijs satisfecerint, addemus tertiam, quam nulla vnquàm arte honestè subterfugere, nulla euasione declinare poterunt. Hęc est ipsa regni consuetudo, & praxis tàm illis temporibus, quę dictum statutum antecesserunt, quàm quę post subsecuta sunt.

L. fin. ff. de legibus.

Nitimur interpretatione iuris Angliæ communis, quod in illo statuto commemoratur & declaratur. Ius autem quid sibi dicere velit, & quam interpretationem admittat, quomodò intelligimus meliùs & certiùs quàm ex vsu & praxi eiusdem iuris? Est enim consuetudo, interpres legis optima. Atqui in Angliæ regno ante illud statutum non modò Regum liberi, atque alij in primo gradu, sed remotiores etiam, talęsque qui prorsus extra dominium Regis nati fuerant, ad Regni successionem admittebantur. Hunc vsum atque hanc praxim videre est tàm ante victoriam Normannorum quàm post eandem extitisse. Inter cœteros Eduardus Rex & Confessor, legitimis hęredibus infra regnum orbatus, Eduardum nepotem suum cognomento Vdislaum, filium Edmundi Regis, qui Latisferreus dictus est, iam multos annos exulem, ex Hungaria in Angliam

Consuetudo optima legis interpres.

Eodem anno Rex cùm in diebus suis processisset, Aeldredum vigornensem Episcopum ad Regem Hungariæ transmittés, reuocauit indè filium fratris sui Edmũdi Eduardum

gliam reuocauit, vt ſibi in regnum ſuccederet. Quod factum tamen non eſt, eò quòd Vdiſlaüs iſte ante Regem Eduardum patruum ſuum vita deceſſerit.

cum tota familia, vt vel ipſe vel filij eius ſibi ſuccederent in regnum.

Flor. hiſt. 1066.

Aelredus Regiovallenſ. de Regib. Anglorum ad Regem Henricum 2.

Quo mortuo, Rex Eadgarum Athelingum Vdiſlai filium, ſibi ſanguine proximum, hęredem regni Angliæ, ſicut iure optimo fuit, declarauit. Et quia Eadgarus ille admodum puer propter teneram & immaturam ætatem tantæ adminiſtrandæ prouinciæ non ſufficeret, Rex tutelam tam immaturi Principis quàm ipſius Regni vniuerſi, Haroldo Cantij Comiti tantiſper commiſit, donec Eadgarus ad ætatem regno adminiſtrando idoneam perueniſſet. Qui tamen Haroldus fidem datam fefellit, & Principem adoleſcentem circumueniens, ab illo ad ſeſe diadema tranſtulit.

Hinc iam perſpicuum euadit ante conqueſtum ſeu victoriam Normannorum, externam natiuitatem non exiſtimatam fuiſſe cauſam iuſtam, & idoneam, quamobrem titulo regni prohiberetur is qui fuiſſet ſanguine proximus. Quamuis autem Eduardi Regis & Confeſſoris conſilium & mens non eum ſortiretur effectum, quem & ille exoptauerat & poſtularat lex, eadem tamen planè ſucceſsio in Stephano & Henrico ſecundo Regibus, reuera & efficaciter locum habuit, vt antè declarauimus. Nec illa aduerſariorum euaſio, de Alienigenis, quorum vterque parens extra Regis dominium fuerint, quicquam eos iuuabit: quãdoquidem hęc clauſula non ad liberos Regis, ſed ad alios referenda eſt, vt in eodem ſtatuto clarum eſt. Atque hi duo Reges (Stephanum dico & Henricum ſecundum) ſicut in ex-

Stephanus Rex & Henricus 2.

H teris

Vanum commentum aduersariorum, quod Henricus secundus ex compositione non sanguinis propinquitate regnum adierit.

Rex Stephanus omni hærede viduatus, præter solummodò Ducem Hēricum, recognouit in cōuentu Episcoporum & aliorum de regno optimatum, quod Dux Henricus ius hæreditarium in regnum Angliæ habebat. Et Dux benignè concessit, vt Rex Stephanus tota vita sua suum regnū pacificè possideret. Ita tamen cōfirmatum & pactum, quod ipse Rex & ipsi tum præsentes cum cæteris regni optimatibus iurarēt, quòd Dux Henricus post mortem Regis si illum superuiueret, re-

teris locis nati sunt, ita & parentes habuerunt non subditos, sed alienos prorsus & peregrinos. Quòd verò aduersarius persuadere conatur Henricum illum secundum ex pacto & conuentione potiùs quàm propinquitate sanguinis, cœpisse regnare: quàm sit hoc vanum & ridiculum, iudicent ij quotquot historias regni huius, & rerum gestarum narrationes, vel mediocriter degustarunt. Peperit sanè, fateor, quietem interim & tranquillitatem ei conuentio illa, cum bona quoque spe, & certa confidentia, fore, vt post mortem Stephani Regis ipse pacificè & sine omni cōtradictione regnum obtineret, quod & factum est. Sed ad ius & titulum eius nihil quicquam ei indè accreuit amplius. Erat enim verus regni hęres, idque attestante & agnoscente ipso eius aduersario Stephano. Etenim Henricus primus filiam Mathildem Henrico Imperatori in matrimonium dedit, qui ex ea nullam prolem suscepit. Si enim suscepisset ex ea liberos, ad eos sine dubio ius hęreditarium regni Angliæ pertinuisset. Imperatore mortuo, illa ad patrem reuersa est, qui effecit vt optimates omnes pręstito iuramento fidem darent, se eam, vt Reginam post ipsius mortem, & liberos eius post eam esse amplexuros.

Non ita diu post nupta est Galfrido Platageneto homini Gallo, Comiti Andegauensi, qui hunc Henricum secundum ex ea genuit, iam tum degens in Gallia. Vnde Rex iuramentum illud obedientiæ & obseruantiæ tam erga illam, quàm erga filium eius post eam denuò renouauit. Consimili persuasione ficta & falsa,

aduer

aduersarius sibi & lectori suo imponit, in causa Arthuri Ducis Britanniæ, nepotis Richardi primi Regis, quasi scilicet iure eum regno exclusisset Rex Ioannes patruus eius, quòd apud exteros natus fuisset. Si dixisset, ideo eum exclusum ne regnaret, quia æquum fuit patruum anteferri nepoti, etsi id quoque falsò, & apertè contra regulas iuris Anglicani asseruisset (vt inter cętera ex Richardo secundo Rege manifestum esse potest, qui Eduardo tertio auo suo succeßit, cùm haberet tamen multos patruos pręstantißimos & nobilißimos viros, qui nec tàm imperiti, erant vt ius suum ignorare pręsumerentur : nec vsque adeò amicis, opibus, auctoritate, potentia, animo denique destituti, vt à iure suo & titulo vendicando abstinere cogerentur) etsi igitur id quoque falsò, vt cœpi dicere, speciem tamen aliquam probabilis assertionis nec alienæ à ratione præ se tulisset, quandoquidem cum auctoritate multorum doctißimorum & iuris ciuilis consultißimorum virorum plurima pręterea concurrunt & conspirant argumenta, ius patrui prius & antiquius esse, quàm nepotis.

gnum sine aliqua contradictione obtineret. Flo. hist. an. 1153.

Simile commentum de nepote Richardi Regis.

Illud verò affirmare, locum natalem eius, qui hęres sit regni, satis idoneum impedimentum esse contra ius sanguinis, & propinquitatis, fragili admodum & tenui fundamento niti, cùm in alijs causis videri potest : tùm in nostra certè, incertißimo & falsißimo. Cùm verißimum sit, Richardum primum, vti diximus, hęredem suum designasse illum Arthurum

Dissentientes opiniones de patruo & nepote, vter priùs in regnum succedere debeat.

in Britannia natum, non Regis alicuius, ſed Galfridi Britanniæ Ducis, fratris ſui, filium, idque Ioanne patruo eius adhuc ſuperſtite. Et in omnibus noſtris Chronicis pro tali cenſetur: denique pro tali orbis ipſe terrarum vniuerſus eum habebat, Richardo mortuo: nec Ioannem alium exiſtimabant quàm Tyrannum, primò, quòd eum excluderet, deinde etiam homicidam, quòd in vinculis tenuerit, & clàm de medio tollendum procurauerit.

Poſſeſsiones regni Angliæ in Gallia deuenerunt in manus Regis Galliæ propter cædem Arthuri.

Pro quo ſcelere Rex Galliæ egregias illas terras quotquot in Gallia Regis Anglorum erant, ſibi vniuerſas accepit, vtpotè iure iam deperditas, & ad ſe tanquàm præcipuum Dominum pertinentes. Per hoc tam immane facinus Ioannis Regis, Normanniam quoque amiſerunt Angli, & totius Britanniæ hęreditādæ ſpem, quæ ad Arthurum & hęredes eius per matrem Conſtantiam deuentura fuiſſet. Et quamuis prędfatus Ioannes, ſatagente Regina Eleonora matre eius, ambitioſa fœmina, & in primis Huberto Archiepiſcopo Cantuarienſi procurante, aliiſque in Anglia nonnullis factioſis hominibus, regnum Arthuro nepoti pręripuerit, (quod non erat ei difficile, qui iam omnes theſauros Richardi fratris pręter alios quoque Angliæ redditus ingentes in ſua poteſtate haberet, Arthuro autē etiamnum infante, & in transmarinis partibus degente ſub tutela matris Conſtantiæ,) tamen huius facti contra omne fas perpetrati tam Archiepiſcopum, quàm alios plurimos vehemēter & ſeriò pœnitebat, poſtquàm viderent Arthuro cędem crudeliter & iniuſtè comparatam,

tam, & (vt aliqui authores ſcribunt) ab ipſo Ioanne eſſe commiſſam. Quod tam immane & nefandum facinus non fuiſſet opus Ioannem admittere, ſi externa natalia Arthurum à regni ſuccesſione prohibuiſſent: multoque minùs neceſſe fuiſſet, Do. Eleonoram Arthuri ſororem innocentiſsimam fœminam in carcerem arcis Briſtolienſis conieciſſe, vbi miſerabiliter vitam finiuit, ſi ad hoſce duos ſolo peregrinæ & tranſmarinæ natiuitatis nomine excludendos egregia illa Maxima valuiſſet.

Polyd. 15. Flor. hiſt. 1208.

Quid, quod ex alijs quoque geſtis illorum temporum, & ex hiſtoria de eodem Ioanne apparet, peregrinam natiuitatem ex parentibus non ſubditis, non ſatis idoneam cauſam viſam eſſe, ob quam ius regni amitteretur? Nam Barones Angliæ cum Ioanne Rege litigantes, renunciata erga eum obedientia, Ludouicum filium Philippi Regis Galliæ natu maximum, propter ius Blanchæ vxoris eius, Regem ſuum eſſe volebant. Erat autem Blancha externis natalibus orta, ſed Neptis memorati Richardi, Alphonſi Regis Caſtiliæ filia ex Eleonora vxore, quæ filia Henrici ſecundi, ſoror eorum quos dixi, Regum Richardi & Ioannis fuit. Quam hiſtoriam in hunc duntaxat finem proferre volui, vt ex ea facilè illorum temporum hanc fuiſſe opinionem cognoſceremus, externam natiuitatē ad titulum regni hęreditarium, nullum planè impedimentum exiſtimari. Sin autem, qua tandem ratione, aut quo prętextu regnum Angliæ poſtulaſſet Ludouicus Gallus, nomine Blanchæ vxoris ſuæ in Hiſpania natæ?

Ludouicus filius Galliæ Regis, vxoris ſuæ nomine regnum Angliæ petebat. Pro hæreditate vxoris meæ, ſcilicet neptis Regis Ioannis, vſque ad mortem ſi neceſsitas exigeret, decertabo. Flor. hiſt. an. 1216.

Atque hęc exempla talia esse arbitror, vt cuiuis homini non pertinacissimo, suísq; friuolis imaginationibus nimis addicto, aut aliter in deterius deprauato, pro indubitata & solida iuris communis interpretatione sufficere queant. Neque sanè alienum esset ab instituto nostro, considerare hoc in loco & perpendere, quibus & quàm calamitosis cladibus propter hanc iniustam, & tyrannicam ex ementitis titulis dominationem, Regnum Anglię affectum atque afflictum fuerit. Nolo autem magnitudinem, & numerum earũ calamitatum odiosa commemoratione suscitare, quæ cùm ex alijs causis, tùm verò maximè ex illa duarũ amplissimarum familiarum Eboracensis & Lancastrensis intestina discordia contigerunt: pręsertim cum nostra ferè memoria tam feliciter extincta sit, & prorsus composita.

Haroldus muneribus, & genere fretus, regni [illegible] dema inuasit. H. Hunte. hist. Ang. li. 6.

Cui regnum iure hæreditario debebatur Ealred. Rhiual. in hist. R. Ang. ad. H. 2. Cui de iure debebatur regnũ Anglorum. Io. Lond. in Chron. Angliæ.

Eadem verba sunt in Mattheo Vvestm. in Flo. hist. an. 1066.

Quæ calamitates huic regno contigerunt ex tyrannica Haroldi, Stephani, & Ioannis, regni vsurpatione.

Nunc eorum tantùm te admonebo optime lector, de quorum falsis, fictísque titulis inpręsentiarũ agimus. Atq; vt ab eo potissimùm exordiar, quod est antiquissimũ. quid (obsecro) de Haroldo factũ est, qui largitionibus & auxilijs propinquorũ suorum, regnum hoc cõtra pręfatũ Eadgarum adolescentẽ, verũ (vt antè dixi, & vetusta historiographorum monumenta apertè testãtur) atque legitimum hęredem, tyrannicè obtinuerat? Eumne vel per vnũ integrũ annum ambitiosa & nefaria sua tyrannide frui potuisse existimatis? nihil minus. Nondũ enim primo anno iniustæ dominationis eius reuoluto, regno simul & vita spoliatus est. Imò ab illa eius tyrannide causam & initiũ habuit totius regni subiugatio per Gulielmũ Normandiæ Ducem, spurium filiũ Roberti

sexti,

ſexti, eiuſdem Normandiæ Ducis, poſt cõſecuta. Et nos modò omnia tuta & ſecura, taliúmq; periculorum vacua arbitrabimur, ſi à via recta & regia iuris ac iuſtitiæ declinantes, denique Haroldi veſtigijs inſiſtemus?

Rex Eduard. miſit, &c. vt vel ipſe Eduard. vel filius eius ſibi ſuccederent, &c. Rich. Ciceſt. Vvil. Malmeſt. de reg. Ang. E. 2. c. 45. li. 3. c. 5.

Quid commemorabo hoc in loco bella ciuilia inter Stephanum & Henricum 2. crudeliter geſta, quæ inde nata ſunt, quòd Henricus iniuſtè Regno prohibebatur, quod Mathildi matri ſuæ primùm, deinde poſt eam ſibi debebatur? Quis regnum Ioannis miſerabile & luctuoſum non defleat, atq; illas Normandiæ & Aquitaniæ prouincias vnà cum ſpę totius Britanniæ Ducatus, cęteráſque in Gallia egregias poſſeſsiones omnes ſimul amiſſas, & de Anglorum poteſtate éreptas, propter tyrannidẽ eius contra Arthurum nepotẽ? Sed haſce prętcritorum temporũ triſtes & ingratas cõmemorationes omittamus, & adhuc etiã porrò inquiramus, ſi fortè recentior aliqua vel ſtatuti illius, vel iuris potius ipſius interpretatio, ad noſtrũ inſtitutum conuenientior, adeóq; propenſior in cauſam noſtrã inueniri queat. Atq; ecce mirã Dei bonitatẽ & prouidentiã, qui ſi ſuperiora exempla non ſufficerent, de poſteriori interpretatione nobis proſpexit, tã iuſta, tam certa, tàm ad noſtrã cauſam apta & cõſentanea, vt luculentiorẽ nemo ſanæ mẽtis deſiderauerit. Interpretationẽ dico ad noſtrã cauſam directè pertinentẽ, nuptias D. Margaretæ, filiæ Henrici 7. natu maximæ cũ Iacobo 4. Rege Scotiæ, & opinionem dicti prudẽtiſsimi Principis, quà eandẽ filiam ſuã in Scotiam elocauit, quæ vna res ſatis magnas habet vires ad quaſcunq; cauillationes & cõmenta aduerſariorũ refellẽda

Polyd. 26. Henricus 7. cum suis Cõsiliarijs est optimus prȩsentis causæ nostræ interpres.

Nam cum Iacobus quartus Rex legationem mitteret ad Henricum septimum, vt in illas cum Margareta nuptias sibi consentiret, non defuere ex Consiliarijs eius viri legum & consuetudinum Angliæ non ignari, qui matrimonium illud non probarent: fieri enim posse, vt hac ratione Titulus regni ad Margaretam & liberos eius deuolueretur, & Anglia Scotiæ subijceretur. Quibus respondebat prudentissimus Rex, talem deuolutionem (si fortè contingeret) nullum Angliæ prȩiudicium afferre posse: futurum enim, vt Anglia, vtpotè prȩcipua, principalis, & prȩstantissima insulæ pars, Scotiam ad se traheret, quemadmodum iam indè à Conquestu traxit Normanniam. Quæ responsio vniuerso Senatui mirificè placuit. Vnde & de nuptijs res transacta est, vt author est Polydorus Historicus gentis Angliæ, qui acta illius temporis sic conscripsit, vt ab ipsomet Rege edoctus fuerat.

Dico igitur sapientissimum hunc veluti Salomonem, quatenus prȩuidit talem deuolutionem accidere potuisse, interpretem causæ nostræ vnà cum prudentissimo & grauissimo suo concilio extitisse. Nam alioqui frustrà de Regni huius subiectione disseruissent, si D. Margaretæ liberi nullo iure hȩreditario regnum Angliæ obtinere potuissent.

Nam de marito eius, non erat periculum, vt illi subijcerentur Angli, qui nullum Anglici regni ius sibi ex his nuptijs acquirebat. vnde rectissimè inferri potest, hanc nouam Maximam istorum hominum, per quam Principum successiones definiri volunt, nec ipsi Regi

homini

homini ſapientiſsimo, nec alicui ex vniuerſo eius concilio notam fuiſſe: ſin verò, non tamen exiſtimatam ad ſanguinem regium in Scotia naſciturum extendi potuiſſe. Atque ita vndique ſtabilis & inconcuſſus manet Mariæ Reginæ certiſsimus Regni Anglici titulus. Porrò ex his quæ diximus, facilè apparet, quàm leuibus & exilibus argumentis conatus ſit aduerſarius dictionem illam (Infantes ſeu liberos) ad primum duntaxat gradum reſtringere. Eiuſdem momenti eſt & alia illa eiuſdem conſideratio, qua imaginatur & ſuſpicatur ideò ſtatutum hoc editum fuiſſe, quòd rex toties, rebus neceſſariò exigentibus, in tranſmarinis partibus apud Reginam vxorem ſuam eſſe cogeretur. Quaſi verò non ſolerent plurimi ante eum Reges mare tranſmittere, aut quaſi perſonale hoc ſtatutum eſſet hominis cauſa ſpeciali conſilio factum, non etiam pro communis iuris ſententia ac declaratione accipiendum: quòd aſſerere, ex diametro repugnat, & aduerſatur literæ ipſius ſtatuti. Quaſi denique liberi ipſius non ſępiſsimè ad exteras nationes proficiſcerentur, vt Ioannes de Gandauo Dux Lancaſtriæ, qui Petri filiam Regis Caſtiliæ natu maximam duxit vxorem, cuius nomine regnum Caſtiliæ vt ſuum vendicabat: vt Edmundus frater eius Comes Cantabrigiæ, qui filiam eiuſdem natu minimam in matrimonio habuit: vt Lionellus Dux Clarentiæ, qui Mediolani Violantam Galeatij Ducis Mediolanenſis filiam & hęredem accepit coniugem: ſed horum maximè Princeps Eduardus, qui Ioannem Regem Galliæ bello cepit, & captiuum duxit in Angliam cum to-

Nuptiæ filiorum Regis Eduardi 3.

tius regni triumpho & applausu (cuius filius natu maximus Eduardus paulò pòst mortuus,& trans mare in Gasconia natus est) alter verò Richardus, qui Auo successit,natus est Burdegalis. Atque vt hi illustrissimi filij Eduardi Regis vxores acceperunt alienigenas, ita & suas ipsi filias cęteris Principibus in matrimonium dederunt. Vt Dux Lancastriæ,Philippam filiam Regi Portugalliæ,& filiam Catherinam Regi Hispaniæ: Iohanna autem neptis eius ex filio Comite Somerseti, nupta est Regi Scotiæ: Iohanna Thomæ fratris sui filia de Vvodstochia dicti, Ducis Glocestrensis, fuit Hispaniæ Regina : & altera filia Maria, Ducissa Britanniæ.

Iam verò si huius hominis valebit interpretatio,nemo omninò ex generosissimis hisce fœminis oriundus (quamuis sanguine regio proximus) regno Angliæ ad ipsum post mortem primogenitorum deueniente frui potuisset.Quod certè & contra vetera maiorum exempla,quæ ostendimus, & contra commune Anglorũ ius (quod non existimandum est hoc statuto abrogari,sed tantùm declarari) & contra omnem rationem dimicasset. Nam vt regno Anglorum magnam factam esse iniuriam existimassemus, si Hispaniæ regno, vel cęterarum, quas dixi, gentium cuiuscunque, quæ ex pręfatis nuptijs ad ipsum iure deuenissent,defraudatum fuisset,sicut hodie propter Galliam detentam, grauem sibi iniuriam fieri ijdem Angli queruntur & expostulant: ita profectò liberi istarum nobilissimarũ fœminarum durè & iniustè secum agi rectissimè iudicassent, si tale ali-

aliquid in illos fieri contigisset. Neque huiusmodi friuolæ interpretationes & coacta glossemata, quæ iste bonus vir comminiscitur, & huic statuto affingit, aut tunc quicquam valuissent, aut nunc valere poterunt.

Sed inter cęteras omnes vanissimas & ineptissimas commentationes seu coniectationes eius in illa verba (Infantes de Roy) vna tamē antecellit, scilicet persuadere nobis cupit (quæ hominis est peritia) hoc statutum quoad (Infantes de Roy) editū fuisse propter incertiorem, magísq; dubiam eorū, quàm cęterorū hominum, in auitas hęreditates successionem. Cùm enim iuris (inquit ille) axioma esset, neminē ex parentibus nō subditis natum, hęreditates maiorū adire potuisse: Porrò cùm ipse Rex subditus esse non potuerit: videri planè, liberos regios deteriori quàm alios conditione fuisse, penitúsq; exclusos, adeóq; ex hoc statuto non dari illis aliud aliquod priuilegium, quàm vt æquali cū cęteris iure fruerentur, atq; ideo hoc statutū, quoad, Infantes de Roy, in superficie verborum, non in rei veritate, esse decretum.

Inepta imaginatio aduersarij de statuto an. 25. E. 3.

Iam verò inter cętera affirmat, vt antè diximus, hoc vocabulum (Infantes de Roy) cuius in hoc statuto habetur mentio, de liberis in primo gradu exponendum esse, quod ex annotatiuncula quadam D. Rastalli sibi videtur probare: sed ad hoc respondemus suauissimo somnio consopitum fuisse hominem, cùm hanc ineptam & phantasticam expositionem animo conciperet, planéq; infantem ratione & legum scientia sese declarasse. Aut enim nulla erat Maxima aut non tam certa, antequàm hoc statutum ederetur, quod non dat

Nulla erat de liberis Regis transmarinis dubitatio.

liberis Regum ius aliquod nouum, nec respōdet ad dubium aliquod de illis & eorum hęreditatibus, sed illud dicit, quòd lex de Regno seu diademate Angliæ talis est, & semper fuit, (quam legem nos, dicit Rex, dicunt optimates, dicit plebs, ratam & confirmatam habemus in perpetuum) quòd liberi Regis, vbicunque nati sint, terras primogenitorum suorum hęreditare poterint.

De alijs personis omnis erat dubitatio, vt clarum est ex forma statuti, nempe an extra Regis dominium nati, in maiorum suorum hęreditates iure communi succedere potuerint. Apparet autem magnis angustijs constringi aduersarium, quando misella D. Rastalli annotatiuncula de liberis Regis, & non liberorum liberis, niti cogitur. Quæ tamen nihil eius partes iuuat, quoad hoc statutum. Sed siue ille, siue Typographus, seu quisquis alius fuerit, sicut alias multas annotationes summatim de contextu colligit, ita in hęc verba gallica (les Infantes de Roy) adscribit margini, The Kings Children, hoc est, liberi Regis. Illa autem vox quàm latè pateat, & quousque extendatur, nihil quicquam dicit omnino.

Neque tamen Reginæ titulo seu iuri hęreditario quicquam pręiudicat, siue illa vox, Infantes, strictè pro primo gradu sumi debeat, siue ad alios extendi largiùs. Nam si hoc statutum ad regiæ prolis successionem in alias duntaxat maiorum suorum hęreditates, non ad regnum & diadema pertineat, sicut pleriq; exponunt, & vt diximus rectè exponi, atque admitti potest: tum hęc quæ vulgò censetur Maxima de externis natalibus,

quæ

quæ ex hoc ſtatuto deduci videtur, titulo regni, quominus ſit Reginæ Scotiæ, nulla ex parte derogat, nihil enim ibi de regno. Contrà verò, ſi per hęreditatem liberorum Regis, diadema quoque intelligatur, tamen nec vrgenda eſt regula de externis natalibus, vſque ad liberos Regis, qui diſertis ſtatuti verbis excipiuntur: nec vox, Infans, ad primum duntaxat gradum violenter reſtringenda eſt, propter eas rationes, pręiudicata, exempla, & cętera argumenta, quæ copioſè in contrarium protulimus: quandoquidem titulo Regni ad eos iure deueniente, rectè Regis aut Regni liberi appellari poſſunt. Eſt & alia cauſa, cur etiamſi ad diadema ipſum pertineat hoc ſtatutum, & de eo exponi queat, ac debeat, Regina tamen Scotiæ terminis eius non concludatur. Non enim ex Anglorum ſententia intelligi poteſt de perſonis in Scotia aut Vvallia natis, ſed de ijs ſolùm qui vltra mare extra inſulam geniti fuerint, hoc eſt in Gallia, Flandria, & ſimilibus locis. Nam Anglia, Scotia, & Vvallia omnes intra vnum territorium, vt quidam Angli ſentiunt, compręhẽduntur: neque certè mari diuiduntur. Quinetiam omnes vetuſtæ relationes ſeu ſcripta iuris Recordatoria, quæ vocant, de ſeruitio aliquo in his duabus regionibus pręſtando, hęc habent verba, (infra quatuor maria). Quod neceſſariò debet intelligi in Scotia, & Vvallia, non minùs quàm in Anglia, quia vna eſt terra continens omnium, quam circundant quatuor maria. Similiter multa ſunt antiqua ſtatuta regni Anglici, Gallica Normannorum lingua ſcripta, quæ ſic habent, Deins les quatre mers, hoc eſt,

Statutũ hoc non pertinet ad Reginam Scotiæ, vt quæ non eſt vltra mare nata.

intra quatuor maria. Iam quod ad statutum attinet, inscriptio eius est, De ijs qui vltra mare nati sunt. Argumentum autē à Rubrica ad Rubricæ contextum declarandum, Doctoribus iuris vbiq; vsitatum est & necessarium. Quęstio porrò nata in corpore statuti est de liberis vltra mare extra Regis Anglorum dominium natis, cum multis prętere alijs statuti partibus ad hūc sensum spectātibus. vnde videtur hoc statutū nulla in parte pertinere ad eos, qui in Vvallia aut Scotia nati sunt. Quamuis autē hodie iam inde à regno Eduardi primi, Vvallia sub proprio dominio Angliæ reducta sit, eidē annexa & vnita, ante tamē Regi Angliæ tanquàm Domino superiori, seu supremam, quam dicūt, signoriam habenti, perinde ac Scotia subdebatur. Quare si hoc statutum ante tempora Eduardi primi scriptum fuisset, videretur non ad Vvalliam magis quàm ad Scotiam extendi potuisse. Itaque magnoperè sanè demiror hominem minimè pudore absterritum fuisse, ne tàm pueriliter de hac voce (Infantes) litigaret, neuè tam apertè ius commune, & acta Parlamenti, hoc est, Regni Anglorum senatusconsulta detorqueret, deprauaret, corrumperet.

Vide statuta Vvalliæ in magna Charta.

Vvallia erat subiecta dominio Angliæ antequā regno vniretur.

Atque hinc iam videre facilè poteris, optime lector, nihil aut ex illa quam fingunt generali Maxima aut ex alia aliqua regula iuris deduci posse, quod iusta & æqua interpretatione, vt dictum est anteà, titulum serenissimæ Mariæ Reginæ Scotiæ, quo ei regnum Anglię debetur, impugnare aut labefactare videatur.

Illud

Illud igitur nunc postremo loco consideremus, an sit decretum aliquod, aut actum Parlamenti, quod aut hunc serenissimæ Mariȩ titulum tollere, aut eidem prȩiudicare existimetur. Et quoniam de illo superiùs commemorato statuto anni 25. Eduardi tertij, in quo est declaratio iuris communis, satis abundè iam anteà respondimus: eo omisso, examinemus statutum 28. & 36. anni Henrici Octaui, sacram, quod aiunt, & solam aduersariorum anchoram, an in eo subsit, aut ab eo deduci fortè posit aliquid, vndè violetur, aut lȩdatur hic serenissimæ Mariæ Reginæ titulus, per quem in regnum Angliæ succedere debeat.

Statuta H. Regis 8. de regni successione.

Ex illo statuto quod anno 28. Henrici Octaui editum est, constat primùm, per illud datam Regi fuisse hanc auctoritatem, vt per literas suas, quas Patentes vocant, aut vltimo testamento suo manu propria obsignato, Regni successorem declarare, determinare, cõstituere, & designare posset. Cònstat porrò ex altero statuto anni eiusdem Regis 35. decretum, adeòque in acta publica relatum fuisse, quòd diadema regni Anglici Regi & hȩredibus eius ex se legitimè procreatis successiuè cederet, ac permaneret: hoc est filio Maiestatis suæ natu maximo, quem de Do. Iana tùm eius vxore susceperat, & deficiente tali sobole, filiæ suæ D. Mariæ, & hȩredibus de eius corpore legitimè genitis: & iterum eiusmodi prole deficiente, filiæ suæ D. Elizabethæ & hȩredibus de eiusdem corpore legitimè susceptis: & si talis quoque proles deficeret, illi vel illis personis quibus prȩfato Regi Henrico Octauo videretur, manere

per eam, quam vocant, Reuersionem: prȩterea iuxta talem ſtatum (ſic leges Anglicæ loquuntur) atque eo modo, ordine, & conditione, quæ litteris eius Patentibus, vel vltimo Teſtamento manu propria obſignato, exprimerentur, declararentur, nominarentur, & prȩſcriberentur.

Cuius decreti ſiue ſenatuſconſulti in Parlamento editi auctoritate ac virtute, Henricus Octauus Rex, vt volunt aduerſarij, poſteà vltimo ſuo teſtamento ſcripto & manu propria ſubſignato ordinauit, atque inſtituit, vt, ſi contingeret Eduardum Principem, D. Mariam, & D. Elizabetham mori abſque liberis de corporibus ſuis legitimè ſuſceptis, tùm diadema regni huius tranſiret & permaneret hȩredibus D. Franciſcæ neptis ſuæ, & filiæ Mariæ, nuptæ primùm Ludouico Regi Galliæ. Et tali prole deficiente, hȩredibus D. Eleonoræ neptis ſuæ, filiæ eiuſdem Mariæ natu ſecundæ, legitimè procreatis. Quod ſi illa quoque ſine prole legitima deceſsiſſet, tùm vt ad proximum legitimum hȩredem deueniret. Ex quibus inferunt aduerſarij, & concludunt regni ſucceſſionem ad liberos D. Franciſcæ, & eorum hȩredes tranſire debere, non ad D. Mariam nunc Scotiæ Reginam, iuxta illud, quod falſò tale exiſtimant, Henrici Octaui Regis teſtamentum.

Reſponſio ad prædictum ſtatutum.

Ad hoc pro tuendo iure D. Mariæ Reginæ Scotiæ, inter cȩtera reſpondetur, Henricum Octauum Regem nunquam ſua manu ſignaſſe Teſtamentum quod obtendunt, ideóq; teſtamentum illud contra cauſam memoratæ Reginæ nullum prorſus prȩiudicium afferre poſſe.

posse. Contra quam responsionem pro tuenda fide & auctoritate illius Testamenti sic iterum resistunt aduersarij, plurima testamenti illius exemplaria inuenta fuisse, sua ipsius manu signata, aut saltem interpolata, certè eorum aliqua, pro maiori parte, ipsius autographa, seu sua manu conscripta, ex quibus verisimile esse, desumptum fuisse, bellísque descriptum characteribus originale illud, seu principale testamentum, quod vulgò Henrici octaui Regis Testamentum appellatur. Addunt prẹterea graues quasdam esse, & vehementes coniecturas, quòd pro eo quem gessit erga Remp. paterno amore, & vt successionis incertitudo tolleretur, gratam & probatam habuerit illam sibi à Parlamento delatam potestatem, & quod originale testamentum, in quo certa erat declaratio, & determinatio successionis, propria manu ipse consignauerit. Quas coniecturas tanto vehementius instant vrgere, & exaggerare, quòd nulla prorsus subesset causa, cur erga Reginam Scotiæ, aut D. Margaretam Lenoxiæ Comitissam propensiùs afficeretur: nulla, cur in sorores suas Reginæ Galliæ filias, vllam animo offensionem conciperet. Sed vt hac de re nulla sit amplius vel minima controuersia aut dubitatio, constat, inquiunt isti, vndecim testes de industria à Rege vocatos ad se, qui consignando testamento interfuerint, & eidem sua nomina subscripserint: imò verò Principibus quibusdam viris ex concilio regio mandatam & commissam fuisse huius testamenti executionem, quibus legata ex eodem testamento amplissima & maxima soluta fuerint, sicut

Argumentorum aduersarij hæc est summa, vt ementito H. octaui Regis testamento Regina Scotiæ excludatur.

K &

& cętera, quorum meminit teſtamentum, confecta & tranſacta omnia. Pręterea inter Regem Eduardum & executores teſtamenti, vt ad effectum perduceretur certiùs, legatorum aſsignationes, & literas Patentes intercesſiſſe. Ipſum poſtremò teſtamentum in Cancellariam ſcripto relatum fuiſſe. Vnde in contrariam partem ne quęrendum quidem eſſe omninò, imò ex duobus alterutrum concedendum neceſſariò, vel quòd ſua manu hoc teſtamentum ſubſignauerit, vel quòd nullum prorſus teſtamentum fecerit. Vtrunque concedi debet, aut vtrunque negari. Negabit forſitan quiſpiam? Si ex teſtibus aliquis, ſuum ipſius impugnabit teſtimonium: ſin executorum quiſquam, baſim & fundamentum eorum omnium ſubuertet quæ fecit, dum teſtamentum hoc in ſcripta Cancellariæ referri, & ſub magno ſigillo diuulgari procurauit: atque ita per inconſtantiam & leuitatem ac veluti pręuaricationem, dum factis dicta repugnant, ſe parum idoneos teſtes declarabunt. Iam verò pręter iſta duo genera teſtium & executorum, ex quibus nonnulli regiæ Maieſtati continuò aſsiſtebant, nemo facilè imaginari poteſt quomodo alius aliquis hoc teſtamentum impugnare queat, & probare quod Rex illud non conſignauerit. Si tamen ſint aliqui, conſiderandum eſſet quot illi ſint & quales, omninò autem difficile erit negatiuam facti probare. Sed id perſpicuum eſt (rurſus inquiunt iſti) quod nulla vnquam eiuſmodi legitima demonſtratio contra pręfatum teſtamentum producta fuerit. Si enim fuiſſet, iam in Camera

ſtella-

ſtellata, quam vocant, hoc eſt, in Curia prima & maxima regij ſenatus promulgata, ad Crucem ſancti Pauli Apoſtoli prędicata, inter acta Parlamenti declarata, in ſingulis quatuor totius regni partibus publica Pręconis voce denunciata fuiſſet. Imo ponamus (inquiunt) iam probatum eſſe quod teſtamentum illud omni Regis autographo caruerit, nihilominus tamen illa ipſa exemplaria ſeu archetypa, (quæ diximus) ſcripta & ſignata, aut ſaltem interpolata ſua manu, rectè ſufficiens ſyngrapha & autographa eius ſignatura dici poterunt. Nam cum finis & ſcopus illius ſtatuti huc denique tenderet, vt de certiſsima ſucceſsione proſpiceretur, & comperti aliquid haberetur, quod in dicto teſtamento abundè factum eſt, & cum ad id ſolùm requireretur eius ſyngrapha, vt dolo malo ac ſiniſtris fictionibus nullus relinqueretur locus, de quibus nulla poteſt in memorato teſtamento oriri ſuſpicio: quid refert tandem, aut ad rem quid intereſt, quando Rex pręclarum illud actum ſeu decretum tàm gratioſum, tam vehementer expectatum compleuerit & perſcripſerit, ſuane manu, an non, illud conſignauerit.

Quod ſi ita obijciatur: Regem ad certum quendam ordinem & exactam formulam aſtrictũ & obligatum fuiſſe, quam nullo pacto negligere aut prętermittere potuerit, vt non labefactatum prorſus abſq; ea periret, & irritum ac nullius pōderis fieret decretum. Hac ratione, inquiunt, tota interdum Parlamēta irrita faceremus tàm ex jis, quæ tempore Mariæ Reginæ, quàm quæ Hērico octauo regnante habebantur. Tempore quidem

An. H. 8. 35.
An. H. 8. 33. & 21.

Mariæ, eò quòd omisit stylum à Parlamento constitutum his verbis, Anno Henrici Octaui tricesimo quinto: regnante verò Henrico Octauo: quia pręter verba statuti, quod dicit licere Regi suum assensum decreto Parlamenti per literas Patentes sua manu subsignatas prębere, quamuis ipse in persona sua non adsit, idem Rex sępissimè solo sigillo suo assensum dederit. Quæ tamen Parlamenta non ideo sua auctoritate carent, quia hæ formulæ in illis omittuntur.

Respondetur ad replicatum aduersariorum.

Atque hęc ferè summa est eorum quæ aduersarij nobis respondent pro tuendo illo falso & suppositittio testamento. Ad quæ nos hac vtemur defensione, dicentes. Primùm non nos in eo ponere caput quęstionis nostræ, an Rex sufficiens aliquod testamentum condiderit, hoc enim in aliud tempus reijcimus: sed an secundum illum modum & illam formulã, quam statutum postulat, aliquod condiderit testamentum, vbi si in forma sit defectus, sicut à nobis esse perhibetur, quantumuis aliâs optimum suisque omnibus numeris absolu tum fuerit, quamuis sub magno sigillo ex archetypo descriptum, in publica scripta Cancellariæ relatum, pro testamento eius vulgò reputatum, & eo hactenus ordine completum fuerit: nihil tamen facit ad primam & pręcipuam quęstionem. Superest igitur, vt consideremus quantam vim habeant aduersariorum coniecturæ, ex quibus verisimiliter inferri volunt, valdéque asseueranter dicunt, testamentum formulam illam requisitam habuisse. Sed ante omnia videndum est, quæ in contrarium coniecturæ, & quot, quantíque momenti

occur-

occurrant, ad illas aduersariorum, aliásque eius generis quaſcunque redarguendas & conuincendas.

Variæ præſumptiones & rationes cõtra imaginarium Teſtamentum.

Dicimus igitur multas, magnáſque eſſe coniecturas & rationes, quæ nos in eam opinionem adducunt, vt exiſtimemus Regem, ſicut nullam vnquàm cauſam bonam & iuſtam habuit, cur tale actum ſeu decretum, quale obtenditur, moliri voluerit, ita reuera nec huiuſmodi actum molitum fuiſſe. Equidem non negabo talem ei auctoritatem delatam fuiſſe, neque illud porrò inficiari debeo, hanc eum auctoritatem pro Reip. dignitate & vtilitate, pro totius gentis pace & tranquillitate, aliquo ſaltem modo honorificè etiam exercere potuiſſe. Sed aut cauſam vllam fuiſſe cur faceret, aut vſum eſſe poteſtate illa eo modo quo prętenditur, tàm inaudito, tàm alieno à dignitate & honore, hoc eſt planè quod nego. Nam cùm illo ipſo tempore quo teſtamentum hoc condidiſſe perhibetur, pręclara ſobole auctus, atque ornatus eſſet, nempe Eduardo non ita pridem Rege, Maria & Elizabetha pręſtantibus heroinis: cumque eorum ſtatus & ſucceſsio paulò antè decreto Parlamenti conſtabilita fuiſſent: quid neceſſe fuit, aut quam veriſimilitudinem habere videatur, Regem talibus machinationibus nouiter excogitatis vſum fuiſſe, quales nemo, vt arbitror, ante eum, vel ex Anglicis, vel alienis vſpiam Regibus factitaſſet: & ſicubi fortè factitatæ fuiſſent, miſerabilem & calamitoſum exitum ſint conſecutæ.

Quid, queſo, habet veriſimile, talia eum conſilia machinatum, maturiori prẹſertim ætate iam ſeneſcentem

(cum prudentia atque amore tam erga Deum, quàm erga patriam maximè pollere debuisset) quæ hostilis contentionis in Anglia & calamitosi exitij maius incendium erant excitatura, quàm excitauerant olim capitales factiones rubræ atque albæ Rosæ ante paucos annos per incorporationem & vnionem vtriusque familiæ Eboracensis & Lancastrensis, in persona patris eius, ex nuptijs D. Elizabethæ filiæ Henrici 4. Regis natu maximæ felicissimè extinctæ & consopitę? Quamuis autem cogitauerit, aut dixerit etiam aliquis, talem nullam fuisse metuendi causam, eò quòd ex decreto Parlamenti res acta esset, non tamen ignorare potuit Rex, quod nec Parlamenta pro Henrico 4. habita, aut continuatus in Henrico sexto duorum hominum descensus (qui in assignando regni titulo nullum habebat locum) nec Parlamenta habita pro Richardo 3. nec ea in quibus pater eius lęsæ Maiestatis postulabatur, quicquã paterno iuri pręiudicare aut cęteros adiuuare potuerint, qui potiorem titulum obtendebant.

Et sicut hoc non potuit nescire, ita neque illud est credibile, eum fide sibi commissa ex Parlamento abuti voluisse, & regio sanguine proximam absque perspicua causa exhęredare, tanquam prętextus Parlamenti omnia tuta & secura faceret, cuius vim & auctoritatem quàm esset contra legitimam hęredem exigua ac planè nulla, ipse non ita pridem in paterna causa, cum amplissimo vtriusque eorum beneficio, abundè expertus fuisset. Quanquam si cogitasset aliquando apud animum suum fraudẽ aliquam, aut pręiudicium crea-

re D.Mariæ Reginæ Scotiæ,certè illo maximè tempore non fecisset,cum omni sua cura & cogitatione in id incumberet,vt quacunque ratione potuisset,nuptias inter Eduardum filium, & eandem Dominam ac Reginam conficeret & conciliaret. Indignum profectò & ipsius prudentia,quæ summa erat,& consiliarijs eius, qui plurimi & sapientissimi extiterunt, tam rustico & indocto modo illas nuptias procurare voluisse.

Illud autem minimè omnium dici potest, cum ideò illam parùm honorificam exhęredationem molitum esse, quòd erga liberos sororis suæ Reginæ Galliæ singulari amore propensiùs afficeretur. Extiterunt enim ex intimis eius Consiliarijs Principes quidam viri, qui persanctè affirmauerint, Regi nunquàm magnoperè placuisse nuptias sororis suæ cum Duce Suffolchiæ,qui eam primùm in Gallia clandestinè,pòst in Anglia palàm duxit in matrimonium,&vt fertur,veniam seu impunitatem pro clandestino matrimonio, scripto contestatam à Rege impetrauit. Vtcunque hoc sit, illud certum & indubitatum est, quòd si verum sit hoc testamentum, quod obtendunt, non solùm à Regina Scotiæ,Do. Lenoxiæ, & hęredibus earum, sed ab ipsis quoq; DD.Francisca & Eleonora liberis Rēginæ quondam Galliæ,regni Reuersionem seu successionem trāstulit ac transportauit. Facinus quodammodo incredibile, & idcirco parum verisimile.

Debeo nunc (optime lector) hoc in loco alias porrò duas luculentas & eximias coniecturas tuæ memoriæ suggerere.Nam cum alia multa absurda hoc actum

Fictitium illud testamẽtum præiudicio est regno Angliæ, ne Galliæ diadema repetere poſsit.

concomitentur, quod nobis ex ementito illo teſtamento aſtruere & confirmare volunt, tùm illud maximè quod manifeſtam ac iuſtam occaſionem ſubminiſtrat ad delendum prorſus & in perpetuum de ſtylo regni Angliæ expungendum titulum Galliæ, quem ſuo regno coniunctum, & quaſi in vno corpore coünitum aſſerunt. Vnde enim aut qua adeò ex re vel nunc excludunt Galli vel hactenus excluſerunt Anglorum Reges (Galliæ diadema propter titulum Eduardi tertij repetentes, ad quem materno iure deſcenderat) quàm ex politica & ciuili lege ſua fœminas à iure regni prohibentes, quam vocant Salicam? Et quid aliud facit hoc Henrici Regis actum quod obtẽdunt, quàm commendat & corroborat eorum cauſam, baſim autem & propugnaculum defenſionis propriæ ad ius proprium tuẽdum & repetendum tollit funditus ac ſubuertit? Etenim ſi leges Anglicæ municipales Reginam Scotiæ excludere queant, quæ titulo generalis hęreditatis ad regni ſucceſsionem vocatur: non minùs bona & efficax eſt eorum lex municipalis, & per cõſequens iniuſtè & cum iniuria diadema Galliæ per hoſce tot annos pręteritos vendicant, ſuúmque eſſe affirmant.

Sed vt in propoſita quęſtione progrediamur longiùs, vel potiùs, vt ad domeſtica accedamus propiùs, & ad viuum rem omnem reſecemus, dicimus, quòd ſicut ſatis magna & iuſta cauſa fuerit, cur Rex anno 28. regni ſui, Eduardo Rege nondum nato, de regni ſucceſſione limitanda & conſtituenda cogitaret, ita illo poſteà nato, & poſt illum regni ſucceſsione ex decreto

Parlamenti Mariæ Reginæ, & eius ſorori Elizabethæ anno 35. confirmata, non eſt exiſtimandum voluiſſe eum rem tanti momenti periculo exponere per teſtamentum, quod facilè mutari, & falſificari potuerit, ne dum aſsignare & cōſtituere eo modo quo prętenditur.

Fictitium illud teſtamentum probat occaſionem affectandi regnum.

Nam cùm tanta prudentia & experientia princeps eſſet, non potuit eſſe neſcius, hanc eſſe proximam & expeditiſsimam viam, vndè ſtatus ſeu regni titulus ambarum ad minimum filiarum in diſcrimen veniret perpetuæ exhęredationis. Dum enim Rex ſuo exemplo auſus eſſet tot ramuſculos ſanguinis propinquitate coniunctiſsimos pręcidere & amputare, facilè ambitioſos animos ad audax aliquod facinus, & ſceleratum aggrediendum incitaſſet, vt cùm viderent aditum ſibi ad talia ab ipſo Rege patefactum & pręparatum, & cùm per ſe ſatis propenſi, & procliues eſſent ad mala quęque exempla imitanda, atque ad grandia honeſto aliquo pretextu expetenda, filias iure regni quod ad ipſas deuenire oportebat ſpoliare, & idipſum ad hęredes D. Franciſcæ transferre non dubitarent. Obſecro autem vos, hoc tam pręclarum inuentum & egregium machinamentum nonne ipſo euentu refellebatur, cùm nihil propiùs eſſet, quàm vt ex eo Maria nuper Regina & Elizabetha ſoror eius regno penitus excluderentur, niſi Deus pro ſua benigniſsima miſericordia conſilium illud mirabiliter diſsipaſſet?

Meritò igitur videri poterunt hęc argumenta ſatis habere virium, ad deſtruendas & euertendas infirmas ac tenues aduerſariorum pręſumptiones, incertis tan-

tùm suspicionibus, opinionibus & coniecturis nixas. Verbi gratia, quòd Rex in Reginam Scotiæ & D. Lenoxiam offensus fuerit, quod falsum est, & quidem de D. Lenoxia, ne minimam sanè probabilitatem habet, quemadmodum nec de Regina, si verum fateri volumus. Quanquàm si fuisset certè, æquè multóque etiam magis est verisimile, Regem (illo prçsertim tempore, propter causas quas diximus) supprimere offensionem suam, & dissimulare voluisse. Iam verò fac ita esse, quòd reuerâ talis aliqua offensio interuenerit, an existimatis aut Regi, aut regno honorificum fuisse, aut denique Parlamentum id vnquam cogitasse, vt Rex ex quacunque leuicula offensione eos statim exhçredaret? Quòd si non erat causa, vt aduersarij fatentur, quamobrem Rex offensionem aliquam in liberos Reginæ Galliæ conciperet, cur vtranque Dominam Franciscam & Eleonoram exhçredauit?

Altera eorum coniectura, quam in eo statuunt, vt successionis incertitudo per testamentum eius tolleretur, exigui momenti est, & in ipsorum facilè redundat caput. Tantùm enim abest, vt hac ratione certior & contestatior euadat successio, vt contrà multò magis dubia & incerta, quàm antè constituatur. Nam cùm anteà ius postulandi regni, ex ordinario & indubitato legis municipalis dictamine, ex regij, legitimique sanguinis firmissimo & certissimo iure, & ipsius denique naturæ lege penderet, vndè multa incommoda, turbæ, pericula, seditiones, apud omnes gentes prudenter euitari solent: ita nunc si solo statuto nitatur, eadem facilitate

litate per aliud ſtatutum infringitur & expugnatur. Si verò ex teſtamento pendeat, multis deprauationibus, dolis malis, calumnijs, & cauillationibus eſt obnoxium. Accedit quòd multis modis iuſtiſsimè redarguatur, vel quòd teſtes non ſint idonei, vel quòd ipſe teſtator fuerit inhabilis, vel ſi debito ordine non ſit factum, vel propter mortem teſtium priuſquàm examinarentur, vel alijs conſimilibus ex cauſis plurimis. Monumenta omnis antiquitatis, hiſtoriæ omnium prçteritorum ſçculorum, noſtrorum quoque tempore quotidiana experientia, multa nobis calamitoſa exempla plurimorum & optimorum teſtamentorum exhibent: quæ tamen fraudulentis rationibus, falſiſque & ſubornatis teſtibus, annuente & ſuffragante eorum qui cùm dignitate ſunt inexplebili auaritia, irrita prorſus, ac nullius penitus momenti euaſerunt. Vnde Valerius Maximus contra M. Craſſum, & Q. Hortenſium ita exclamat: Lumina curiæ ornamenta fori, quod ſcelus vindicare debebant inhoneſti lucri captura inuitati, auctoritatibus ſuis texerunt. Hçc igitur aduerſariorum coniectura pro nobis potiùs facit, & inducit, vt exiſtimemus noluiſſe Regem pondus tanti negotij in id diſcrimen adducere, vt nudi duntaxat teſtamenti firmitate vel infirmitate niteretur.

Teſtamenta ſæpe falſantur & adulterantur.

Val. Max. dict. & fact. lib. 9. c. 4.

Ex his quæ diximus probabiliter conijcitur, cauſam Regi non fuiſſe, cur tam periculoſum facinus ex nudo tantùm teſtamento aggrederetur. Nunc quare putemus nihil tale aggreſſum fuiſſe, ſic accipite. Satis conſtat Regem oblatas occaſiones maximorum

emolumentorum non facilè vnquàm ſolere pretermittere. Atqui is tamen cùm ad eum decreto Parlamenti delatum eſſet, vt de omnibus Capellanijs & Collegijs ſtatueret, & diſponeret, nunquàm aut quàm minimùm vſus eſt illa poteſtate: & hanc eum auctoritatem exercuiſſe (quod iſti comminiſcuntur) nullo ſuo preſenti commodo & emolumento, magno autem cum dedecore, & non ſolùm ſuis, ſed alienis etiam obmurmurantibus propter notabilem, & omnibus ſeculis inauditam tot ſanguine regio proximorum exheredationem, exiſtimabimus, niſi pleniſsima & apertiſsima argumenta neceſſariam fidem non tàm faciant, quàm extorqueant?

In illo teſtamento nulla inſeritur conditio de nuptijs hæredũ D. Franciſcę, ſicut eſt de nuptijs filiarum ipſius Regis.

Rurſus ſi talem ſucceſsionis modum aſsignaſſet, cui dubium eſſe poteſt, quin, qua conditione nobiliſsimas filias per illud teſtamẽtum obſtrinxit, vt niſi de ſententia Conſiliariorum ſuorum nuberent, ſucceſsionis beneficio non fruerentur, eadem quoque heredes DD. Franciſcæ & Eleonoræ obſtrinxiſſet?

Preterea cogor exiſtimare talem nullam aſsignationem teſtamento Henrici Regis factam fuiſſe, eo quod nec in Cancellaria, nec alibi vſpiam in Anglia, aut nunc extat, aut per multos iam annos hoſce preteritos extitit vllum eiuſdem originale exemplar, vel authenticum Recordationis monumentum, id quod ipſi fatentur aduerſarij, & in illis quæ vulgò diſſeminantur exemplaribus, teſtes qui obſignando teſtamento interfuiſſe perhibentur, tales ſunt, vt ſi hinc mediocrem eorum conditionem, indè cauſæ ipſius magnitudinem &

grauitatem ſpectemus, parùm profectò ad eam rem idonei ac ſufficientes videri debeant. Cauſæ enim magnitudo tanta eſt, vt cùm tot regni hęredes ex vtraque ſorore omni hęreditatis iure priuet, vnum aliquem poſtulauerit adeóque flagitauerit de intimis Conſiliarijs ſuæ Maieſtatis regijque ſenatus, aut honorabilem aliquam & illuſtrem perſonam, qui dictæ obſignationi interfuiſſent, tùm ſignificanda certè & declaranda poſtea talibus viris ea res fuiſſet, ſi non ab ipſo Rege, ſaltem coram notario aliquo aut authentica perſona, ad maiorem teſtamenti confirmationem.

Illud porrò hic conſiderandum eſt, cum ius regni res planè teſtamentaria facta ſit, & ab vltimo teſtamēto dependeat, quando & apud quem Ordinarium exhibitum, ratumque ac probatum fuerit hoc teſtamentum: vbi & apud quem pręſtiterint executores iuramētum de teſtamento fideliter adimplendo: quis illis bona & facultates regias adminiſtrandas commiſerit: quando & ad quem eorundem indicem ſeu inuentorium detulerit: quis teſtes iuratos de fide & veritate teſtamenti examinauerit, nominatim verò de ſyngrapha Regis, in qua ſola res non leuioris momenti ſita eſt, quàm diadema ipſum: vbi, aut in qua Curia Eccleſiaſtica vel ſęculari inueniri queant eorum depoſitiones ſeu iuramenta. Sed nimis profectò arduum eſſet id inuenire quod nemo omnium mortalium vnquàm fuiſſe nouit.

Nihil conſtitutū aut actū de probatione dicti teſtamenti.

Quod ſi totum hoc negotium, tàm clarum, ſolidum, & indubitatum eſſet, quam perhibetur: ſi prima-

rium,seu prototypum testamentum tale fuisset, vt nec in lucem prodire, nec iudicijs hominum tanquam lydio lapide examinari formidasset,cur illi quibus maximè emolumento erat,quique propter potentiam & auctoritatem optimè potuissent, non prospexerunt accuratiùs de archetypo exemplari bene & tutò conseruando? Aut si nihil aliud,certè vsitata probatio,quam vocant, quæ in pauperis cuiusque testamento diligenter obseruatur, procuranda fuisset, aut videnda, vno aliquo authentico instrumento eiusdem reseruato. Vident hos defectus aduersarij,& fatentur necessariò: itaque vt huic malo medeantur, magnoperè vellent illam eius in Cancellaria descriptionem (Enrolement vulgò) pro idonea probatione admitti:vtranque enim potestatem, ecclesiasticam & sęcularem, in persona Regis concurrisse asserunt.

Testamenti in Cancellariam descriptio non est eiusdem sufficiens probatio.

Atqui satis intelligunt hac medicina non curari vulnus istud, tantúmque miseram esse & inanem euasionem. Nam neque literæ Patentes, nec Inrotulatio, quam vocant,vllo modo sufficiens probatio existimari queant. Non enim Cancellaria vsitatus locus est, aut ordinaria Curia ad probanda testamenta, nec Rotulæ ad scriptum eiusdem memoriale seu Recordatorium. Vtrunque in foris Ecclesiasticis fieri oportet,vbi executores quoque comparere, & rationem suæ administrationis reddere debent:vbi testamenti habenda examinatio est,vtrùm valeat,an non:interrogandi testes:probatio deniquè & cętera omnia ad illud necessaria sunt expedienda. Aut si per aliam aliquam personam fieri

pos-

poſsit, eius tamen oſtendenda eſt auctoritas. Probationem quoque & reliqua omnia conuenienter fieri oportet. Inter cętera non omittenda eſt vſitata clauſula, Saluo iure cuiuſcunque. Quæ omnia illa in Cancellariam inſcriptio non complectitur, vt quidem omnibus perſpectum eſt.

Sed quorundam inſtituto non ſatis conueniebat cautela illa, Saluo iure cuiuſcunque: quæ tamen legi, & rationi maximè eſt conſentanea. Itaque aliam cautionem adhibuerunt, vt cùm pauperrimi cuiuſque in Anglia teſtamentum in probatione eius hanc cautelam adiunctam habeat, huic certè teſtamēto, omnium credo, quæ vnquam in Anglia fuerunt, maximo & grauiſsimo, nulla talis probatio, aut clauſula in alterutro foro reperiri queat. Et tamen omnino ſcilicet perſuaſos nos eſſe volunt, quòd fuerit teſtamentum debita forma iuxta propoſitum & effectum illius ſtatuti compoſitum, & regium Angliæ diadema neceſſariò ſcilicet ſub ſpecie tantùm, & prętextu teſtamenti aliò transferri, & tranſportari debet. dico prętextum ſeu vmbram tantùm, propter aliam coniecturam, quam nunc oſtendam, tàm luculentam & efficacem, vt ægrè admodùm à quoquam probabiliter refelli aut vitari queat: porrò tanti momenti támque vehementem, vt hęc vna ſola omnes aduerſariorum coniecturales probationes, quibus ſuppoſititium illud teſtamentum tuentur, ac defendunt, deſtruere prorſus & ſubuertere videatur.

Dicimus igitur, & affirmamus, ſi fuiſſet vnde ex te-

ſtamento apprehendi ius regni pro hęredibus D.Franciſcæ potuiſſet, eam factionem, quæ D. Ianam eiuſdem Franciſcę filiam natu maximam in regni poſſeſsionem intruſit, nunquàm omiſſuram fuiſſe tanti beneficij tam inſignem occaſionem oblatam, quin eam arripuiſſent, & amplexi fuiſſent. Nec in eas anguſtias aut voluiſſent, aut etiam deduci potuiſſent, vt tyrannicæ vſurpationi ſuæ contra Mariam nuper Reginam & ſororem eius Elizabetham, literas Patentes ſolum Eduardi ſexti Regis, & eorum hominum conſenſum, quos ipſi exorauerant, prętexuiſſent. Qui Rex nullam ſecundum leges auctoritatem habuit (vt eſt notiſsimum) aliter determinandi aut aſsignandi diadema quàm ſtatuit & diſponit ius municipale. Debebant, inquam, valdéque eorum intererat, ſicut eiuſmodi literas Patentes compararant, ita & dictum teſtamentum promulgaſſe, ſi tale aliquod ſufficienter & legitimè probatum extitiſſet, quale nunc fuiſſe imaginantur. Exemplar illius imaginarij teſtamenti extitit in Cancellaria, quo vnà cum ementitis teſtibus, & originali conficto teſtamento, cęteríſque omnibus eò pertinentibus, prout videretur maximè commodum, vti potuiſſent. Non eſt credibile, aut hoc eos ignoraſſe, aut tãtam oblatam occaſionem & prętenſæ vſurpationis tam popularem prętextum, qui regij teſtamenti & totius Parlamenti auctoritatem ad Reginam Scotiæ & alias ex regio ſanguine propinquiores excludendas præ ſe ferebat, voluiſſe prętermittere. Rurſus nec illud dici poteſt literas patentes ad corroborandum ſolum & cõfirmandum teſtamentum

Grauis preſumptio ſeu coniectura contra putatiuum teſtamẽtum quòd D. Iana nuper Pſeudo-Regina non ſit eius beneficio vſa contra Reginam Scotiæ, & alias.

Vide edictũ x. Iulij an. 1. vſurpati regni eius permulgatum.

tum illud conſcriptas fuiſſe: quandoquidem in toto illo edicto, quod iniuſtè pro falſo titulo D. Ianæ (quem ex putatiuo teſtamento deducunt) proclamatum eſt, ne vna quidem ſubeſt vocula, ex qua appareat Henricum octauum Regem vllam prorſus regni determinationem aut deſignationem hęredibus D. Franciſcæ conſtituiſſe. Vnde rectiſsimè inferri poteſt, aut eos nullam einſmodi limitationem liberis D. Franciſcæ ex eodem teſtamento factam cognouiſſe, aut eius generis teſtamentum exiſtimaſſe, vt nullum pondus, aut robur ad tuendam eorum tyrannicam vſurpationem (vtpotè apertè falſum, & fictum) habere potuerit, atque hanc adeò ob cauſam de induſtria & conſultò (non enim ignorantia aliqua dici poteſt) hanc imaginariam, quæ prętenditur, liberis D. Franciſcæ factam aſsignationem illi in literis patentibus tacuerunt. Quam nunc aduerſarij nihilominus tanta, & tam vehementi aſſeueratione in aures omnium hominum difflant & diffundunt. Quæ tamen prorſus refellitur, & ſubuertitur, ſi nulla alia ex re, certè ex hoc edicto, quod pro falſo titulo prȩfatæ Ianæ promulgatum eſt, ita vt iam non ſit opus laborare ampliùs de pluribus argumentis ad hanc aſſeuerationem redarguendam & conuincendam.

Quòd ſi adhuc maiorem huius rei fidem expectat fortaſſe aliquis, quæ tamen (vt dixi) non eſt neceſſaria: ô mirabilem Dei prouidentiam, ô ſingularem eius amorem & bonitatem erga Angliæ regnum, de quo ita dictum legitur, Angliæ regnum eſt regnum Dei, vt qui eiuſdem ſpecialem ſemper curam geſſerit. O bo-

M nita-

nitatem, inquam, eius erga regnum hoc in hac quoque causa singularem. Veritatem enim huius rei patefecit, & in apertam lucem produxit, quæ, quantumuis artificiosè, & callidè tegeretur, tamen erupit. Dicimus igitur Regem nunquam sua manu suppositititium illud testamentum consignasse: neque hoc ita dicimus ex auditu tantùm, aut ex coniecturis solùm, & argumentis suprà memoratis colligimus, quamuis efficacissimis illis, valdéque verisimilibus, sed ex testibus summa fide & auctoritate spectatis, qui sanctè & asseueranter affirmant se certissimò scire, quòd sigillum duntaxat ipsum dicto testamento appositum fuerit, idque aut Rege ipso iam planè mortuo, aut in extremis & agente animam, cùm nullum haberet suarum rerum sensum, aut memoriam.

Falsatio suppositititij testamenti reuelata per D. Pagetum Baronem coram Parlamento.

Do. Pagetus Baro ex intimis Reginæ Mariæ Consiliarijs, sua voluntate, & pio animi motu propter honorem regni, & veritatis ac iustitiæ amorem (etsi ipse culpæ affinis, & ad id quodammodo aliorum auctoritate impulsus) primus omnium mortalium reuelauit hoc arcanum, primùm senatui seu Cōsilio regio, deindè coram toto Parlamento. Pręterea D. Eduardus de Monte acuto eques & iustitiarius seu Pręor primus, qui illius facinoris conscius rei gerendæ interfuit, idipsum tam in Consilio, quàm coram Parlamento confessus est. Imò ipse quoque Gulielmus Clarcus in numerum eorum testium ascriptus, qui proferuntur, fassus est vera esse quæ iam dicta sunt, séque ipsum fuisse, qui testamento sigillum apposuerit, posteà verò impunitatis

scri

ſcriptum, factíque ſui veniam obtinuiſſe.

Quæ teſtimonia cum iuramento perhibita, poſtquàm diligenter & circumſpectè perpenſa atque examinata fuiſſent, Maria Regina de ſententia Conſiliariorum ſuorum, ad honorem Dei & regni, ad veritatis & iuſtitiæ patrocinium & legitimæ in regnum ſucceſſionis, ad multa nefanda mala deuitanda, quæ illa corruptione ex illo figmento conſecutura erant, iuſsit exemplar memoriale ſuppoſititij teſtamenti, quod extabat in Cancellaria, cōſcindi, expungi, aboleri, tanquàm indignum quod inter vera & incorrupta nobiliſsimi regni exemplaria locum obtineret. Quod ab illa factum prçclarè, immortalem famam promeretur, non minùs quàm Romanorum illud, qui propter ſexti Tarquinij ſcelus in Lucretia violanda, Tarquiniorum nomen, & memoriam deleri voluerunt: Non minùs quàm Epheſiorum, qui legē tulerunt, ne vnquàm ſcelerati Eroſtrati nomen in libris Hiſtoricorum ſuorum memoraretur: Non minùs quàm quod Romæ fecit familia Manliorum, qui ſolenni prçſtito iuramento fidem dederunt, nemini vnquam eorum Capitolino cognomen futurum, propter affectatam M. Manlij Capitolini tyrannidem. Denique vt domeſticum quoque exemplum adiungamus, nō minùs quàm meriti ſunt maiores Angli, qui impiorum Apoſtatarum nomina Oſrici & Eanfridi (qui Oſvvaldi optimi Regis temporibus annumerabātur) ex Annalibus & Chronicis penitus diſpūxerunt.

Præclarum Principis factum delere falſa exemplaria. Cic. 3. Off.

Suet. de vir. Illu.

Beda lib. 3. hiſt. eccl. c. 1.

Meritò igitur magna reprehenſione non caret, quòd aduerſarij conantur Reginæ & magiſtratuum nomini

infamiæ notam ſeu maculam inurere: ac ſi id feciſſent, quo iure, quaque iniuria, & tanquam ipſis ſingulare aliquod emolumentum inde acceſsiſſet, quod patet eſſe falſum. Sicut enim illa teſtamenti abolitio magiſtratibus cęteris nullum beneficium attulit: ita ſi verum & indubitatum fuiſſet teſtamentum, nunquam Regina iuſsiſſet conſcindi, tàm honoris & cõſcientiæ ſuæ, quàm priuatæ etiam vtilitatis cauſa, nempe cùm ex eo ſuum quoque regalem ſtatum declarari & confirmari videret. Et tamen magnoperè ſanè cupiunt duo Clariſsimorum virorum DD. Pageti & Eduardi de Monte acuto teſtimonia redarguere, illiſque fidem omnem derogare. Scilicet vndecim teſtes illis opponunt, cogitantes numero ipſo eos non iam æquare, ſed ſuperare & opprimere. Verùm hîc meminiſſe oportet, hos etſi numero vndecim, tamen ad rei dignitatem & magnitudinem tenues admodum & exiles eſſe. Rurſus & illud veniat in mentem, ſępe legem perindè fidem teſtium perpendere, atque perſonarum numerum ſupputare. Aliàs, inquit Caliſtratus, numerus, aliàs dignitas & auctoritas confirmat rei, de qua agitur, fidem. Quam etiam ad rem conuenienter dicit Arcadius. Confirmabit iudex motum animi ſui ex argumentis & teſtimonijs, & quæ rei aptiora, & vero proximiora eſſe comperit. Non enim ad multitudinem reſpicere oportet, ſed ad ſinceram teſtimoniorum fidem & teſtimonia, quibus potiùs lux veritatis adſiſtit.

L. teſtium ff. de teſtibus. L. ob carmen ibidem.

Non facilè viſum aut auditum aliquando fuit eſſe homines, qui eo loco & conditione, in cauſa tanti mo

menti, primùm offensam Dei, si falso iurarent, deinde etiam Principis, & aliorum quorundam virorum dignitate precellentium indubitanter incurrerent, qui sibi dedecus & infamiam conciliarent, quódque est absurdissimum, qui nulla spe aut se suósque iuuandi, aut ledendi aduersarios, suam ignominiam proderent. Atque hoc satis est, non dico ad facti & culpæ excusationem, certè ad liberandos eos ab omni sinistra suspicione, quoad hoc eorum testimonium, & iuramentum, quod videtur planè non ex propensiori aliquo affectu aut corruptela esse profectum, sed zelo veritatis, & studio erga regnum, cuius honori consultum hac ratione optasse verosimilius omnino est. Quanquàm autem fortasis si huius rei iuridicè conuicti & condemnati fuissent, & non ipsi sese (debitam sic agentes pœnitentiam) sponte fatendo castigassent, excipere contra eos potuisset aliquis, qui iuridicè conuentus esset, ad qualecunque causæ suæ adiumentum: tamen vt nunc se res habet, nulla prorsus subest causa, cur eorum testimonio fides abrogetur, maximè cùm in lesæ Maiestatis causa, & aliorum criminum contra Remp. vbi accusatio dicenda est, homines etiam aliàs inhabiles, idonei tamen reputentur, & ad accusandum, & ad testificandum.

Nulla iusta causa reijciendi testimonium D. Pagetti & aliorum.

L. famosi ff. ad l. Iul. maiest. L. muliere. ff. de accusatione.

Quòd verò ad vndecim illos testes attinet, Princeps eorum Ioannes Gateius eques scimus qua ratione hanc vitam finierit. Alius quidem ex ijs (ille Gulielmus Clarcus) ita ab illis defecit, vt rem omnem meritò reddat suspectam. Ceterorum quot supersint, nescio. Quibus aliquid fortè responderi posset, si quid ipsi dicant

aliquando intelligamus. Quod quia authentico testimonio non constat, nuda duntaxat nomina mutorum testium non valent vllo modo ad lędendum & extenuandum D. Pagetti & Eduardi de Monte acuto, duorum clarissimorum virorum, tam sanctum & solenne testimonium. Neque sanè tam difficilis res est, quàm præ se ferunt aduersarij, probare negatiuam facti. Quod vt verum esse fatemur, quando est simplex negatio, ita si tempore & loco determinetur, non minùs quàm affirmatiua probari potest.

Quomodo negatiua probari posSit. Gloss. & Doct. c. bonæ. de elect.

Nunc igitur ex his quæ diximus, apparet, argumenta aduersariorum, quibus conuellere & labefactare cupiunt vel testium vel executorum fidem, eorum qui supposititio testamēto aut iam contradixerunt, aut posthac contradicturi sunt, parum habere virium, exiguíq; esse momenti: pręsertim verò exilem illam & frigidam exaggerationem Rhetorico verborū apparatu amplificatam, per quam inscitia plebis abutentes, suadere volunt, nullum fide dignum argumentum productum fuisse, quod testamentum illud falsitatis conuinceret: quia scilicet eiusmodi falsificatio, nec ad Crucem Do. Pauli pręedicata, nec in publicis totius regni locis & conuentibus pasSim publicata fuerit: cùm satis intelligāt id vt ita fieret, non fuisse opus. Iam enim huius rei famam notabiliter dimanasse propter indicium D. Pagetti Baronis, tam in consilio Sęnatorum, quàm apud omnes ordines in Parlamento congregatos: & quia illius falsificationis exemplar in Cancellaria antè repositum, ex hac declaratione meritò iam deletum esset atque abolitum. Quæ

dete

detectio, quando per tales viros, atque eo modo & ordine prodierit, quo explicuimus, sicut nihil lędit, aut extenuat testimonium, quod contra testamentum illud dixere siue testes, siue executores, ita non est necesse alios porrò testes producere, pręter eos, qui illud iam anteà suis testimonijs impugnarunt Quanquam illud sanè non negauerim, si istiusmodi testium aut executorum aliquis pręstito apud legitimum iudicem iuramēto affirmasset, ex certa sua scientia sibi constare, quòd testamentum hoc propria Regis ipsius manu consignatum fuisset, idem si postea diceret cōtrarium, & iuramentum pręstitum retractaret, nō tamen leuiter & temerè fidem priori assertioni abrogandam, propter eam quæ postea accidit contradictionē. Verùm tales, vt dixi, auctenticas & vsitatas examinationes & depositiones non reperimus, nec fuisse aliquādo audimus. Cōtra verò siquis eiusmodi testiū vel executorum corā idoneo Iudice nō aduocatus ab aliquo, aut contra aliquem pro causa aliqua priuata in iudiciū adducta: sed, vt dixi, sola conscientia motus, & zelo veritatis atq; honoris Dei ac Reip. ingenuè & sponte talem falsificationē detegeret & reuelaret (etiā si honoris ipsorū fortè intersit, tacuisse potiùs, propterea quòd aliquid cōtrà fecerint vel dixerint) aut si per idoneum Iudicē vocatus, aliquod testimoniū cōtra eam perhibuerit, vel perhibiturus sit, rationi & legi cōsentaneū est, vt huic posteriori testimonio fides adhibeatur.

Quomodo & quādo posterius testimonium pluris æstimandum sit, quàm prius.

Vbi verò sic argumentantur, aut hoc quod obtendunt, testamentum Henrici octaui Regis fuisse, aut eum nullum prorsus condidisse, non est, vt dixi, instituti mei,

nec necesse erit hanc rem curiosè examinare, aut discutere, vt quæ nihil pertineat ad id de quo initio dicere proposuimus. Et fieri quidem potest, quòd testamentum condiderit eadem omnia complectens, quæ hoc quod obtendunt (excepta diadematis seu regni limitatione) & quòd testes quoque illi, quos proferunt, adfuerint, vel cùm sua manu eidem subscriberet, vel cùm iussu eius sigillum (inter quod & syngrapham vulgus hominum nullum ponit discrimen, & certè in alijs causis satis multis nihil planè interest, vnde & testes pro syngrapha seu manu propria interpretari potuissent) testamento apponeretur.

Hoc, inquam, quodammodo fieri potuisse non est incredibile, nihilominus poterat & aliud testamentum esse, & fuisse certum est, quoad illam diadematis assignationem, adulterina quadam Regis manu cōfictum, & illo mortuo, falsò speciéque tenus substitutum, quod suam ipsius syngrapham, testiúmque quos obtendunt, nomina præ se ferret. Vtcunque sit, parum interest ad id quod agimus, plenam aliquam & exquisitam hac de re responsionem moliri, cùm nec originale quod sibi confingunt, testamentum, cuius testes istos conscios fuisse pręsupponunt, extet vspiam: nec eorum depositiones seu iuramenta vsquàm conspiciantur, nec eos vnquam iuridicè, vt diximus, examinatos fuisse inueniatur.

Quare cùm ex his iam omnibus illud effectum sit, primarium testamentum, cuius exemplar magno sigillo apposito descriptum, & in Cancellariam relatum

est,

eſt, non habuiſſe (ſaltem quoad clauſulam de regni aſſignatione & limitatione) Regis ſyngrapham adiunctam, non neceſſe eſt in ſcedulis & exemplaribus teſtamenti immorari, quæ aduerſarij ſua ipſius manu, vel ſcripta vel conſignata eſſe affirmant. Enimuerò regni pondus maius eſt & oneroſius, quàm vt in ſcedulis & exemplaribus facilè transferri poſsit. Denique quando his omnibus modis non ſuccedit, aduerſarij ad vnum hoc extremúmque refugium ſe recipiunt, vt rei æquitatem, & Parlamenti ſententiam ſeu propoſitum vrgeant, cui ſatisfactum aiunt per hanc aſsignationem, ſucceſsioníſque confirmationem, dum proſpicitur, ne Reſp. Principe ſeu Rectore deſtituatur: itaq; non euertendum eſſe hoc ſtatutum calumniando defectum regiæ ſyngraphæ, cùm Parlamentum potuerit conſenſum Regis duntaxat etiam abſque vlla ſyngrapha ratum feciſſe. Quod quidem vt non facilè negauerim, ita in iſtiuſmodi cauſis maximi ſanè momenti & ſummæ fidei, vbi tam ampla poteſtas & abſoluta auctoritas illi data eſt, prouidè, & neceſſariò cautum eſt, vt decretum ſeu actum hoc ad propriam ipſius Regis manum ſeu ſyngrapham reſtringeretur, ídque ad omnem fraudem tollendam, quam aduerſarij ne in hoc taſtamento vllo modo ſuſpicemur, magnoperè ſanè volunt. Cùm tamen factum ipſum per ſe notiſsimum, & calamitoſus rerum euentus illud palàm prędicent, atque flebiliter contra illud vociferentur & exclament.

Neque verò aſſentiemur illis, Parlamenti ſententiæ hac ratione ſatisfieri, eas ob cauſas, quas diximus, & fu-

N ſiùs

sius posteà dicturi sumus. Quòd si aliàs vel maximè verum esset hoc Actum, tamen ob id solum quod Regis syngrapha desit, totum infringitur & labefactatur. Etenim cùm statutum hoc corrigat & immutet vsitatum cursum seu dictamen legis, amputando legitimorum & verorum hęredum successionem, cúmque (vt ex eo quod continet, est perspicuum) sit lex supra modum pœnalis, non debemus verba legis declinare aut immutare, nec modum, aut formam Acti pręscriptam alio Acto æquiualente suppletam æstimare. Quare etiam si in alijs quibusdam rebus idem valeat sigillum Regis, aut indubitatus assensus eius, quod syngrapha seu autographum, tamen in hac causa non habet locum, eò quòd certus modus seu stata forma constituatur, ac pręscribatur. Vnde si ciuitas aliqua statuto edito certos homines delegaret ad faciendum Actum quoddam, si deindè totus populus ijsdem delegatis pręsentibus illud ipsum Actum faceret, viri iuris ciuilis peritissimi tale actum vitiosum esse, nihílque valere iudicant, imò ratione legis cessante, tamen obseruanda est forma. Est enim regula seu axioma, vbi lex certam pręscribit formulam, qua determinandum & restringendum sit Actum: ibi etsi ratio legis cesset, Actum tamen esse irritum, & nullius momenti, nisi forma lege pręscripta obseruetur. Quod verò obijciunt contra hanc regulam de Parlamentis regnante Maria, absque vsitato stylo denunciatis, & indictis, facilis est responsio. Est enim omnibus perspicuum, qui statutum illud anno 35. Henrici octaui editum, in quo stylus ille contine-

Cur sigillum Regis non sit æquiualens syngraphæ eius in hac causa.

Ioan. And. in adit. spec. tit. de requisit. consul ad finem. Lege. si fundus ff. de rebus eorum c. de rebus Ecclesiæ in 6.

Respondetur aduersarijs de actis parlamenti, quibus probare volunt syngrapham Regis non fuisse illi testamento necessariam.

tinetur, peruiderint, non esse ibi constitutum, aut definitum disertis verbis, quòd forma styli, qui in eo proponitur, debeat in omni scripto obseruari, atque ideo hoc cum statutis, quæ annis 28. & 35. Henrici octaui scribebantur, non esse comparandum, in quibus disertis & conceptis verbis, vna forma succeßionis per Regem aßignandæ expreßè proponitur.

Prętereà illa quæ diximus scripta, cùm ad antiquam formam Registri, quæ in Archiuis seruatur, & per expressum mandatum Principis stylum illum prorsus reijcientis conscripta fuerint, nec Maiestati Reginæ, ac iuri regio, nec sententiæ & interpretationi statuti quicquàm detrahere potuerunt. De stylo autem illo vt aliquando plenè respondeam, obseruandum est, quòd ista quæ vocantur scripta, cùm sint acta Curiæ seu fori, etsi careant pręscripta forma, quam lex patria aut statutum proponunt: neque ipsa tamen, nec iudicia ex illis consecuta fiunt irrita & inania, nisi sic duntaxat, quatenus declinari poterunt, reo contrà excipiente per iudicium Curiæ. Nam si reus simpliciter & sine exceptione formam scripti admittat, & ad causam ipsam respondeat, vt in Curia agi & disceptari poßit, tum non solùm scriptum ipsum, sed etiam iudicium ex eo consecutum suam vim atque effectum lege habent. Quamuis igitur demus hoc illis, quod statutum anno 35. Henrici octaui editum, stylum illum omnibus scriptis necessarium fecerit, ideóque scripta indictionum seu comitialia vitiosa fuerint, quia forma pręscripta deerat: postquàm tamen ij ad quos per-

18. E. 3. fo. 10. 3. tt. 4. fo. 3. & 11. 11. tt. 4. fo. 67. 9. tt. 6. fo 6. 19. tt. 6. fol. 7. & 10.

35. tt. 6. fol. 12. 10. tt. 6. fol. 26 3. tt. 6. fol. 8. 33. E. 3. fol. 13. Vide Prisat. 33. tt. 6. fo. 35.

timebant, ea rata habuerint, idque tàm voluntate sua, quàm ipso facto, dum diem constitutum obierint, & vocati comparauerint, istiusmodi scripta, & quæ ex illis consequuntur acta, lex rata esse iubet & confirmata. Neque tamen inde sequeretur, ideo hoc de quo agitur testamentum, vbi præscripta forma deest, similiter existimandum esse secundum legem valere.

Nam quod attinet ad specialitates, status, & translationes, aut aliud aliquod actum externum cuiuscũque, in quo stata est forma, & modus præscriptus: si vlla pars formæ præscriptæ desit, pro nihilo reputanda sunt. Exempli gratia, statuit lex omnem specialitatem aut actum, vel in prima, vel in tertia persona esse componendum. Itaque si vna pars eius in prima persona conscripta fuerit, quod reliquum est in tertia, non valet scriptum illud, sed in lege pro irrito & inani habetur. Statuit preterea lex in omni tali scripto disertis verbis declarandum esse, quòd auctor suum sigillum eidem apposuerit. Quod si in vllo scripto desit illa clausula, & mentio sigilli, quamuis reuerâ auctor subsignauerit, tamen in lege non valet.

9. tt. 6. fol. 35. 35. tt. 6. fol. 34. 40. E. 5. fo. 2.

40. E. 5. fo. 2. 22. E. 4. fo. 47. 26. tt. 6. fo. 6. 29. li. assis. p. 64.

Similiter lex etiam dat auctoritatem ei, qui quarundam terrarum est Dominus, vt in terris elocatis pro redditibus & seruicijs sibi eo nomine debitis distringere posit, & inde vi pecora abigere, atque alia pignora auferre. Quæ deinde certo loco includantur, & instar depositi custodiantur, donec de ipsis redditibus Domino feudi satisfactum fuerit. Si igitur ille Dominus bona villici, quæ extra suum dominium & territorium

sita

ſita ſunt, vi auferret, aut ſi ad ſuos vſus, nempe ad laborandum, & operandum accommodaret, eiuſmodi ablationem ſeu abactionem lex iniuſtam eſſe definit, cò quòd eo modo facta non ſit, quem lex pręſcribit. Statutum porrò anno 32. Henrici octaui editum, dat facultatem tenentibus in tallia (quos Tenents in taile vulgò vocant) & alijs qui fundos iure vxorum aut Eccleſiarum poſsident, eoſdem ex ſcriptis tabellis elocandi, vbi pręſcripta etiam formula proponitur. Quòd ſi aliquis eorum in tabellis elocationis ſuæ illam formulam per omnia non obſeruaret, nulla in parte vim habet ex ſtatuto illa elocatio.

Rurſus ſtatutum anno 28. Henrici octaui editum de contractibus & venditionibus, ordinem & modum illis pręſcribit, vt neceſſariò in formam publicam in ſcriptis redigantur, deinde ſigillis contrahentium obſignentur: poſtremò vt intra ſex menſes poſt datam eorum, in publicas tabulas referantur. Si igitur contractus aliquis, aut fundi venditio fiat, in quibus omittatur aliquid à ſtatuto pręſcriptum, irritus eſt in lege, & inualidus contractus.

27. tt. 8. 6. 10.

32. tt. 8. 6. 1.

Poſtremò ſtatutum anno 32. Henrici octaui editum dat talem poteſtatem, vt liceat fundos teſtamento ſcripto legare. Si quis igitur fundos ex teſtamento nuncupatiuo legauerit, non valet in lege legatum illud, nec vim aliquam habet ex ſtatuto. Omitto alios conſimiles caſus infinitos, quos ad hoc confirmandum coaceruare poſſemus: in qua vna re tantò diutius hęſimus, quòd in ea aduerſarij tantoperè ſe iactitent, & quòd eadem

opera valere queat ad illud ſoluendum de conſenſu regiæ Maieſtatis Parlamentis adhibendo per literas patentes ſua manu conſignatas. Quod nihil aliud eſt, quàm patrij iuris Anglici declaratio & explicatio, non noua aliqua auctoritas illi data quicquam faciēdi, quod antè non potuerit, aut vlla formula preſcripta, qua ille teneretur. Huc accedit, quòd in hoc caſu nullus omnino metus eſſe poteſt ementitæ aut adulterinæ ſyngraphæ regiæ: atqui in cauſa teſtamentaria longè ſecus habere ſciunt omnes, & quotidiana docet experientia. Ex quibus omnibus hęc concluſio naſcitur, teſtamentum illud quod obtendunt, cùm manu regia conſignatum non fuerit, nullo modo ius ſucceſsionis Reginæ Scotiæ in regnum Angliæ lędere aut impedire poſſe.

Iam verò vt illud quoque fingamus, nec D. Pagettum Baronem, nec Eduardum de Monte acuto equitem, nec Gulielmum Clarcum quicquam indicaſſe, aut teſtificatos fuiſſe, quod aduerſariorum aſſertionem de teſtamenti cōſignatione infringeret & labefactaret: nō ideo tamen omni iuri ſeu titulo Reginæ Scotiæ prorſus obſiſtitur. Supereſt enim adhuc, vnde iuſtè & legitimè ſuam illius aſſertionis impugnationē tueatur, tam contra perſonas & verba teſtium, ſi qui prodierint, quàm poſtulando (id quod iure poteſt) vt teſtamentum in medium proferatur, maximéq; conſignatio manu Regis facta, vt debitè & conſideratè inſpiciatur, examinetur, & conferatur. Habet ſuam iuſtā defenſionem & exceptiones, atq; habere debet neceſſariò. Ab omni enim iure, ipſáq; adeò naturæ lege alienū eſſet, his eam priua-

re adiumentis. valdéq; porrò rationi est cōsentaneum, vt primarium illud testimonium, cuius fides ex Regis syngrapha dependet, exhibeatur, & cum alijs eius certis & indubitatis scriptis autographis comparetur, vtque alia fiant, quæ ad hanc causam requirantur.

Testamētum quod obtendunt, etsi manu Regis cōsignatum esset, tamē Reginæ Scotiæ præiudicare non potest.

Nihilominus fingamus nunc, & supponamus Regem (cuius mens & manus sine dubio procul à tali facto abfuerunt) sed fingamus, inquam, eum sua manu testamentum consignasse: neque hîc tamen fortasis compererint aduersarij iustum Reginæ Scotiæ titulum prorsus ruere, vel labefactatum concidere. Imò procul dubiò dicamus eam esse causæ illius æquitatem ac bonitatem tantam, támque inuictam veritatis vim, vt nec sigillo Regis, nec syngrapha, seu manu eius propria conuelli, & expugnari posit: quod non sine perspicuis, grauisimísque rationibus affirmamus.

Neque verò volumus hoc loco disceptare & disserere, quam potestatem seu auctoritatem, & quatenus in hac & similibus causis, Angliæ Parlamentum habeat, quod alij tamen hîc fortasis facerent. Nos de alijs tantùm rebus agemus, nec tam longè, nec tam altè positis, quęque in pręsenti controuersia meritò & necessariò consideranda videantur.

Primùm, antequàm de cęteris rebus dicere incipiamus, æquisimam hanc & necessariam quęstionem proponimus: Vtrùm hęc generalia verba, quibus ampla huiusmodi auctoritas ad Henricum Regem transfertur, perinde quoque sumi debeant amplè, & generaliter exponi, an certa aliqua determinatione restrin-

genda sint, consentanea instituto & consilio, quod tum habuisse Parlamentum plusquàm probabile existimandum est. Dicent fortè facultatem & potestatem asignandi regni absolutè & generaliter sine vlla exceptione (pręterquàm quòd consignandum sit testamentum) exponi debere. Est ita profectò, quod nihil pręterea exprimatur. At verò regni ordines aliquid aliud reuerâ spectabant & intendebant, ídque pręcipuum: cuius tamen non necesse erat disertam fieri mentionem.

Necesse est esse aliquam generalium verborũ statuti modificationem & restrictionẽ.

Exprimebatur quidem modus ille externus tam exactè, & pręcisè, ad tollendas omnes suspectas rationes adulterandi & falsificandi. Valebat tamen testamentum etiam absque syngrapha Regis, imò & valuisset quoque asignatio regni, nisi Parlamentum illam restrictionem de Regis syngrapha, addidisset. Cęterùm quoad personæ designandæ qualitatem determinandam, & per consequens ad verborum generalitatem, quamuis amplißimam, restringendam, etsi nihil expressè diceretur, vsitato tamen & noto remedio agi solet. Alioqui, si regnũ ad furiosum aliquem & insanum hominem, aut insipientem & stolidum, aut alienigenam aliquem, & Mahumetanum Principem, talémque cui, vt in Anglorum est Annalibus, Ioannes Rex se regnúmque suum submittere cogitabat, aut ad alium aliquem translatum fuisset, quem nullo modo idoneum aut capacem esse omnes nossent: id verò generalitas quidem verborum videtur ferre, sententia autem & institutum Parlamenti, humanaque adeò ratio nullo

pacto ferunt aut admittunt. Si concedunt aduersarij interpretanda esse hęc verba necessariò (quod concedere & fateri cogit eos ipsa ratio) porrò tamen quęram, si Rex, sicut in hoc quod obtendunt testamento, illustrem progeniem sororis maioris vniuersam, minoris quoque primogenitam prolem abscidit, ita & non solùm minoris sororis omnem posteritatem, sed quicquid reliquum erat regij sanguinis abscidisset, alióſque à regio sanguine alienos, cęteróſque fortaſsis minùs capaces, aut idoneos surrogasset, an hęc designatio in lege valuisset, tanquàm rationi & Parlamenti instituto consentanea? at nimis profectò absurdum esset id fateri.

Oportet igitur in hac causa moderationem aliquam & æquam interpretationem adhiberi, tam quoad illas personas, quæ designantur, earúmque qualitates, & illas quæ ius habentes, tamen excludantur: quàm quoad modum & formam acti, testamentíque consignationem. Nam Rex, in quantum Rex, testamento regnum legare non potuit, & in hac parte arbiter tantùm erat, quasíque delegatus. Vnde ad normam legis, & ad eorum qui eum delegabant, mentem ac sententiam facta eius exigenda sunt. Quid autem illi senserint, & sibi proposuerint, satis apparet ex statuto ipso. Nempe volebant hoc pacto omnem de succeſsione ambiguitatem, dubitationem, controuersiam, & dissensionem tollere. Rem omnem crediderunt Regi, tanquàm ei, quem Reip. studiosiſsimum esse existimabant, tanquàm ei, qui & voluerit & potuerit succeſsionis cau-

ſam prudentiſsimè introſpicere : atque de ea conuenienter prouidere.

Quòd ſi factum Regis ad hunc finem & ſcopum non manifeſtè & apertè tendat: ſi non zelo Reip. non iudicio & prudentia, ſed ex amore, aut animi offenſione fecit hęc omnia: ſi hoc arbitrio diſſenſiones & controuerſiæ non tollantur: ſi pręclaro inſtituto honorabilis Parlamenti non eſt ſatisfactum : ſi dedecus & ignominiam habent machinationes & deſignationes, quæ in hoc teſtamento continentur: ſi contra naturam inuenta ſit noua quędam & inaudita ſucceſsio: poſtremò ſi teſtamentum hoc tale non ſit, quale definit Modeſtinus, Teſtamentum eſt iuſta voluntatis noſtræ ſententia de eo quòd quis poſt mortem ſuam fieri velit: certè & ſi ſyngrapha Regni ſubſcriberetur, non tamen ita prorſus recta & ſecura ſunt omnia, quin iuſtiſsimis de cauſis ampliùs conſiderari & examinari debeant. Hoc an ita ſit necne, iudicet is, qui rem diligenter conſiderauerit, æquus & incorruptus æſtimator.

Iam verò aduerſarij ipſi negare non poſſunt, quin teſtamentum hoc longè abſit ab illa opinione & expectatione, quæ meritò de eo concipienda eſſet: ídque apertè confitentur. Vrgentes enim coniecturam ſuam, de qua iam diximus, & probare volentes illud vulgò appellatum, Henrici octaui teſtamentum, non recens aliquod, illóque ægrotante excogitatum fuiſſe, ſed illud ipſum planè, cuius plurima, vt aiunt, fuere vetuſta exemplaria: ſubiungunt hęc verba dicentes: Si enim

recens

recens ſit teſtamentum tum concinnatum, quis credat aut ipſum ſua ſponte voluiſſe, aut alios eum hortari auſos fuiſſe, vt tot res tam honori ſuo repugnantes ibi insereret? Tantùm abeſt, vt auderent, aut ipſi nouam ſucceſsionem excogitare, aut eum vt eam formam, quam receperant, immutaret, admonere, cùm viderent aliter ſecundum naturam diſponi non potuiſſe. Qua in re veriſsimè dicunt. Certum eſt enim non ſolùm patrias Anglorum leges, ſed naturam quoque ipſam dictare nobis, quòd Regina Scotiæ, poſt memoratos Regis liberos, proxima & legitima eſt huius regni hęres, ideóque Regem, ſi eam excluſiſſet, facinus contra naturam commiſiſſe. Dicent illi cauſam fuiſſe, cur faceret, quòd eſſet alienigena, & extra hoc regnum nata. Atqui ſic quoque valdè naturæ inconuenienter, imò verò imprudenter, inconſideratè & iniuſtè feciſſet, magnum prӕiudicium & periculum creando ſuo ipſius titulo ad regnum Galliæ, vt antè declarauimus.

Prӕtereà debet & illud diligenter perpendi, quòd ratio, æquitas, & ius gentium hoc poſtulent & flagitent, vt ſicut Angliæ Reges putarent ſibi manifeſtam iniuriam fieri, ſi acceptis in matrimonium hęredibus Hiſpaniæ, Scotiæ, aut aliarum quaruncunque regionum (in quibus regni ſucceſsio ad fœminam deuoluitur) excluderentur iure ſuo vxorum ſibi nomine debito, vti diximus: ita pari modo ſentiant de fœminis ſui generis, ſanguiniſque Regij in Scotia nuptis, quod hæ quoque non ſine cauſa

immaniter & iniustè secum agi existimare queant, si à regni successione repellerentur, ad quod regij sanguinis proximitate vocatæ sunt. Atque istiusmodi quidem aliorum regnorum deuolutiones ad Anglos per externum matrimonium sępe accidere potuissent, & modò hac nostra ætate nihil propius fuit, quàm vt de Scotia planè accidisset, si nuptiæ Reginæ Scotiæ (quæ nunc est) cum Eduardo sexto non ita pridem Rege Angliæ successissent, eique vita diuturnior, & soboles aliqua contigisset.

Verùm quòd illa non sit ita alienigena, vt ideo regni reddatur minùs capax, iam copiosè suprà disseruimus. Imò amplius aliquid nunc dicam. Fingamus enim ita voluisse Parlamentum, vt excluderetur, & optimo iure potuisse: Regem quoque virtute statuti illius eam in hoc quod obtendunt testamento exclusisse: neque sic tamen est omnino extera, & à regni successione aliena. Nam si legitimi hęredes Do. Franciscæ & Eleonoræ prorsus deficerent (qui nunc defecisse videntur, saltem in D. Catharina & eius sobole, pro cuius titulo nuper nonnihil tumultuatũ est propter definitiuam sententiam non ita pridem latam contra qualescunq; nuptias eius cum Comite Herfordensi) tùm nullum esset, nec à Parlamento, nec à testamento impedimentum, quo minùs Regina Scotiæ & hęredes eius debitum sibi ius postulare & obtinere possent. Sic enim determinat dictum testamentum, vt deficientibus hęredibus DD. Franciscæ, & Eleonoræ, regnum ad proximos legitimos hęredes deueniat.

Si tamen latioris disputationis causa omnino concedendum sit, eam exteram esse dicendam: tùm quid de Domina Lenoxia respondebunt aduersarij, quæ Herbottelli in Anglia nata est, & ab anno ætatis suæ decimo tertio in Anglia enutrita, & vulgò pro nepte Regis tam à Rege ipso & nobilibus eius, quàm ab alijs accepta ac reputata? Imò vt ad alteram sororem Regis redeamus (eam quæ Carolo Brandono Duci Suffolchiensi nupta est) & liberos eius DD. Franciscam & Eleonoram: illæ quoque quare exhęredantur? Certè, si neque in D. Lenoxia, nec in cęteris iusta inueniatur causa, videtur, quòd Rex absolutam planè Regni donationem fecerit. Quod an facere potuerit, vel Parlamenti ęxpectationi respondeat, vel Regi, ac Reip. honorificum sit, alijs considerandum relinquo.

Iam verò nec mihi hoc in loco est propositum, nec erit opus anxiè discutere, & inquirere, quibus causis inductus Rex illas à titulo regni per testamentum suum excluserit, prę̨sertim cùm tale aliquod testamentum de Diademate assignando non agnoscam prorsus.

Quanquàm non sum nescius, quibus de impedimentis multi loquantur, & de quibus nõnulli etiam in libris tàm excusis quàm scriptis meminerint: sed de his in neutram partem statuere aut definire volo.

Hoc tantùm proponam, quasi interrogando & deliberando, quod debita & profunda consideratione, dignum videatur: nempe quando beneficium huius, quod obtenditur testamenti, pertineat ad omnimodam Reginæ Scotiæ & aliorum exclusionem, atque ad pro-

geniem Reginæ Galliæ: si iam nulla causa fuerit, quam obrem Rex sororis suæ Reginæ Galliæ liberis esset infensus (sicut aduersarij ipsi nullam planè fuisse confitentur, nec vllum iustum impedimentum extitisse, quò minùs in regnum succedere possent) hîc, inquam, considerandum est, an rationi consentaneum fuerit, & an Parlamentum vel cogitauerit vnquam, vt Regi liceret eos sine causa exhęredare, & ab omni iure successionis excludere. Contrà si tale aliquod impedimentum fuisset, (cuius rei vehementem suspicionem præ se fert testamentum illud) rursus videndum est, an cum ratione, & æquitate, cum honore Regis & Reip. dignitate, cum proposito, & voluntate Parlamenti consistat, & conueniat, vt Rex non solùm eos excluderet, & iure suo priuaret, quorum est ex lege patria clarissimus & notissimus titulus, sed alios etiam substitueret tales, qui eadem lege apertè excluduntur. In qua re consideranda, multa concurrunt iuris ciuilis præclara axiomata.

Primùm, quisquis dat alicui generalem seu absolutam potestatem quiduis faciendi, non videtur eius rei dedisse potestatem, de qua per se in particulari, si consultus & rogatus fuisset, omnino facultatem non dedisset. Rursus, generalia verba, siue testamẽtorum, siue eorum qui contractũ ineunt, maximéque statutorũ verba generaliter posita, quoad quascunq; personas, vt aliquid faciant, aut emolumentũ capiant, debẽt ad aptas, idoneas & capaces duntaxat personas referri atque restringi.

Est prętereà Maxima seu principium quoddam in lege

L. si pater. ff. quæ in Frud. cred. l. filiusfa. §. Io. l. ff. de donat.
L. 1. c. 6. quæ res pign. l. oblig. ff. de pign. c. in genera de Regulis iuris in 6.
L quidam ff. de verb. sign.
L. vt grada. §. 1. de muner. & honor.

in lege, ſtatuta ad ſenſum & ſententiam legis communis ſeu municipalis dirigenda, temperanda, & interpretanda eſſe.

Quare Rex dum eo modo quo dicitur, regni ſucceſſionē determinat, non videtur Parlamenti expectationi reſpondere & ſatisfacere, ſiue fuerit tale aliquod impedimentum, quale comminiſcuntur iſti, ſiue non fuerit.

Nam hîc ad illam regulã reſpicere oportet, quæ dicit in teſtamentis, cõtractibus, & nominatim ſtatutis, generalitatẽ verborum moderatè & cãdidè per legem municipalem temperandam, metiendã, & reſtringendam eſſe, quoties ex illis verbis generaliter & indefinitè ſumptis, damnum & detrimẽtum alicui innocenti immeritò crearetur. Imò ſtatutum in tali cauſa irritum, ac nullius momenti reputandum eſſet. Verbi gratia, ex iure ciuili conſtat, ſi in aliqua ciuitate ſenatuſconſulto decretum ſit, vt nemo, ne ipſe quidem adminiſtrator contra inſtrumentum cauſam agat: nihilominus tamen ſi adminiſtrator verum & perfectum indicem ſeu catalogum (Inuentarium vocant) bonorum teſtatoris ſcribat, ſi bona fide rem gerat, potiuſquam ſine cauſa iniuſtè cogatur teſtatoris debita de ſuo ſoluere, licebit ei in Curiam venire, & contra inſtrumentum cauſam dicere, defenſionémque ſuſcipere. Quare illud quod Rex feciſſe perhibetur, aut multos defectus videtur habuiſſe, quoad DD. Franciſcam & Eleonoram: aut quoad liberos earum, nimiùm exceſsiſſe: atq; ita quamuis ſua manu teſtamento Rex ſubſcripſiſſet, quòd non fecit, tamen non videretur Parlamenti inſtituto &

L. permittendo cum notatis. ff. de iure dotium.

In auctoritate abſolutè & generaliter data, illud non videtur cõprehendi, cuius non dediſſet poteſtatem, ſi ſpecialiter poſtulatum fuiſſet.

Generalia verba ad perſonas habiles referri debẽt. L. 2. c. de notat. l. fin. §. in computatione. E. De iure & liber. & ibi notat.

Alciat. in l. 1. de verb. ſign.

voluntati esse consentaneum.

Pergemus nunc, atque alias magnas & graues considerationes ad hanc rem pertinentes in medium proferemus: quarum vna est, quòd Rex dum hęredibus ex D. Francisca nascituris regnum determinaret, eadem Francisca tum diúque adeò pòst viuente, non ad sensum & sententiam honorabilis Parlamenti talem successionis determinationem fecerit. Quia actum illud Parlamenti dedit ei facultatem cuicunque vel quibuscunque personis suæ Maiestati libuisset, assignandi diadematis successionem. Vbi ad certam aliquam personam respexit Parlamentum, quæ statim mortuo Rege plebi certissimò innotesceret. Per quas certas personas non poterant vllo modo D. Franciscæ hęredes significari, aut intelligi, cùm illa adhuc esset in viuis, & idcirco tunc hęredes habere omnino non potuerit. Vnde nec populus regni huius certã de successione notitiam (quod tamen actum Parlamenti maximè spectabat) habere potuisset.

11. tt. 4. fol. 72. 9. tt. 9. fol. 24. 11. tt. 6. fol. 13.

Sed ad hoc respondebit fortasse aliquis, & si tum cùm Rex moreretur, incerti fuerint hęredes ex corpore D. Franciscæ oriundi, tamen fieri potuisse, vt tum certissimi atque notissimi futuri essent, cùm ad ipsam vel hęredes deuenturum, illísque remansurum regnum foret. Equidem non negabo, quin potuisset tum fortassis certum aliquid de illis & exploratum haberi. Sed quanta mala & incommoda vel tum potuissent, vel adhuc consequi possent, si in re tam incerta valeret testamentum, magnoperè vellem omnes homines aduertere, &

diligen-

diligenter considerare.

Illud profectò non est dubitandum accidere potuisse, vt eo ipso tempore, quo ad hęredes D. Franciscæ regnum iam deuenturum esset, eadem quoque Francisca ipsa superesset. Iam obsecro quis tum regnum obtinuisset? Dicturi sunt credo, aduersarij, hęredes D. Eleonoræ, ad quos proximè deuoluendum esse statutum est. Atqui illud sine dubio ipsius testamenti sententiæ repugnaret, quandoquidem ex eo statuitur regnum hęredibus D. Eleonoræ remansurum, si D. Franciscæ proles deficiat.

Vndè ex ipso testamento apertè colligitur, quòd non voluerit, vt liberi D. Eleonoræ ante liberos D Franciscæ regnarent. Porrò autem quid si D. Eleonora ipsa quoque tum vixisset (quod fieri potuisset, quando vtraque tam Francisca quàm Eleonora, communi lege naturæ vsque ad hunc diem & ampliùs viuere potuissent) quis tum regno potiri debuisset? Verus profectò & legitimus hęres (quem testamentum illud volebat excludere) tandiu quoad superesset soboles aliqua ex corporibus D. Franciscæ vel D. Eleonoræ legitimè procreata, & ideo ex aduerso omnino sentẽtiæ & instituto dicti testamenti. Quare existimo sanè difficulter, cuiuis homini mente prędito (qui Henrici Regis prudentiã, & res alias multò leuioris momenti, ab eo tamen consideratissimè factas nouerit) suaderi posse, quod de regni successione (ex qua totius Reip. salus pendebat) tam inconsideratè & improuidè statuere voluerit, vt ij, ad quos deuolui ex testamento regnum cupiebat,

bat, non possent illud iure capessere, ídque ex testamento. Ex quo perspicuè videre licet, non solùm ab omni specie probabilitatis alienum esse, quod Henricus Rex testamentum tam inconsultò condere voluerit: sed etiam quòd per illam testamenti determinationem, regni succesio incertior magísque dubia euaserit, quàm fuerit, antequàm illa Parlamenti acta scriberentur. Quod repugnat prorsus ei, quod per illa acta intendebatur, & ideo in lege non satis validum existimatur.

Sed dicet fortasse aliquis, etsi talia pericula & incertitudines ex illa testamenti determinatione consequi quidem potuissent, quando tamen hactenus non euenerint, nec verisimile sit esse aliquando euentura, ideo de illis nullum habendum esse sermonem. Imò verò omittendum non fuit. Etsi enim talia non euenerint, & ideo æquiùs ferenda sunt, quia tamen ex hac testamenti determinatione euenire potuissent, contra id quod volebant acta Parlamenti: non potest vllo modo dici testamentum ex sententia eorum qui acta illa perscribebant, conditum fuisse, ideóque etiam quoad hoc in lege parum valet. Atque vt exaggerendæ rei causa aliquid dicam, cognoscite grauia quędam incommoda & impendentia pericula; quæ adhuc etiam consecutura videntur, si suppositititium illud testamentum obtineret.

Non est obscurum illud, D. Franciscam tum cùm testamentum istud conderetur, prolem masculam nullam habuisse, sed tres tantùm filias ex Henrico

Duce

Duce Suffolcienſi ſuſceptas. Poſt regnante Maria Sereniſsima nuper Regina, idem Dux Suffolcienſis conuictus lęſæ Maieſtatis, deinde capite plexus eſt. Quo mortuo, D. Franciſca magno ſuo cum dedecore & abiectionis ignominia nupſit cuidam Adriano Stocho, antè eius famulo, infimæ conditionis homini, ex quo prolem ſuſcepit. Quæ ſi ſit maſcula, & adhuc viuat, debet per verba teſtamenti ante filias ex illa & Duce Suffolcienſi genitas, regni huius diadema hęreditare, quod nunquam voluerunt, aut intenderunt ij qui acta ſcripſerunt. Quis vnquam ſanæ mentis credat, omnes regni huius ordines in Parlamento congregatos eam poteſtatem Henrico octauo Regi dare voluiſſe, vt per litteras ſuas patentes, aut vltimo teſtamento Reginam Scotiæ ex ſanguine Regum Anglorum linealiter deſcendentem excluderet. Adrianum verò Stochum tum ignobilem Ducis Suffolcienſis famulum, Regem & Gubernatorem huius nobiliſsimi regni conſtitueret?

Cuius rei abſurditates maximas (ſicut & illas quoque non diſsimiles, quæ ex matrimonio Caij non ita pridem Ianitoris aulæ regiæ primi conſecuturæ fuiſſent) iudicijs nobiliſsimorum & clariſsimorum regni Angliæ Procerum examinandas, & altiùs expendendas relinquo.

Dixerit fortè quiſpiam, id voluiſſe Regem, vt diadema deuolueretur ad hęredes D. Franciſcæ, eos quos ex Duce legitimè ſuſcepiſſet, non autem ad hęredes eius ex alio aliquo procreatos. Quæ eius voluntas &

mens etsi difficulter admodum ex illo testamento colligi posset, tamen nec absurditatibus quoque æquè absurdis carere potest. Nam si regnum ad hęredes D. Franciscæ ex Duce genitos deueniret, ad duas coniunctim deueniret filias, quia vtraq; secundum leges, vnius hęredis nomine censetur. Atque hoc pacto antiquus Reip. huius administrandæ status à Monarchia seu regno vnius, in Polyarchiam seu multorum gubernationem mutaretur. Quia cum titulus D. Franciscæ sit per modum substitutionis (Remainder vulgò dicitur) quę quidem reputatur in iure, accrescens & veluti adiuncta acquisitio (a ioynt purchase) facit æqualiter omnem fœminam prolem hęreditatis incapacem: neque concedi potest secundum antiqui iuris Anglici tenorem de succesſione ad regnum, quo cauetur, quòd succesſio regni debet ad seniorem ex fœminis transire. Magna nanque est in iure differentia, quando aliquis vocatur ad aliquem titulum, vel propter succesſionem, vel per accretionem. Et similiter si vna ex istis fœminis decederet, tunc illius hęres in hoc titulo, esset tanquàm separatus tenens in titulo, quem Talcam vulgò dicunt. Atque ita sequeretur, tot futuros Principes, quot essent filiæ, fierétque vt ex earum sobole, nempe fœminea, multiplex atque infinita esset imperantium multitudo. A qua re maximè abhorrebat eorum mens atque institutum, qui acta illa Parlamenti conscripserunt.

Fingamus porrò Regem vltimo suo testamento regnum in duas aut tres partes distribuisse, gubernacula

eius tribus diuidendo, qui ſeorſim ſinguli regiam poteſtatem obtinerent, (verbi gratia, huic Vvalliam, illi Septentrionem, tertio Meridiem) atque hac ratione regnum Angliæ in tres partes miſerè dilaniaſſe. Hoccine actis Parlamenti, & eorum inſtituto ſeu ſententiæ conſentaneum fuiſſet, aut valuiſſet ex Anglorum iure hęc deſignatio? non profectò. Nec quemquam arbitror tam communis etiam ſenſus expertem, qui hoc dixerit. Eadem autem eſt ratio, & idipſum planè ſentiendum de regni deuolutione ad hęredes D. Franciſcæ ex illo teſtamento determinata.

Iam verò vt tractatum hunc de titulo Sereniſsimæ Reginæ Scotiæ, & iure ſucceſsionis in regnum Angliæ tandem abſoluamus, cōcedamus ſanè aduerſarijs, ſicut iam conceſsimus, liberaliter & ex abundanti, id quod verum tamen non eſt, teſtamentum, quod obtenditur, manu Regis conſignatum fuiſſe. Prodeant ſi ita volunt, hęredes D. Franciſcæ, afferant poſtulationem ſuam, qualecunque ſuum ius orbi terrarum declarent, & titulo Reginæ Scotiæ opponant. Regina contrà, vt ſuæ petitionis æquitatem & iuſtitiam cōfirmet, titulum ſuum omnibus mortalibus conſpiciēdum profert, conſignatum, & iam olim ſemper approbatum, non ſigillis tantùm aut ſyngraphis, ſed iuramentis etiam Regum omnium quotquot in Anglia vnquam fuerunt, quæ in die Coronationis ſuæ de tuendis & conſeruandis patrijs Regni Anglici legibus prę̨ſtiterunt. Conſignatum inquam, & ab orbe quoque terrarum vniuerſo approbatum, imò Dei & ipſius naturæ digitis conſignatum.

Solis huius profectò lumen non eſt clarius,quàm huius ius atque titulus. Quod vt obſcurent, atque vt huic ſplendidiſsimæ luci tenebras offundant, quid tandem proferunt D. Franciſcæ hęredes aut alij, in quo fundamentum & robur ponant iuſtæ ſcilicet poſtulationis ſuæ? Quando cętera omnia fruſtra tentauerint, coguntur tandem ad ſcriptum teſtamētum Henrici octaui,& ſua manu ſignatum confugere, illúdq; appręhendere. Bene habet,appręhendant quantùm maximè poſſunt, oſtendant verò Reginæ ipſum archetypun ſeu primarium teſtamentum: ſed fatentur ſe non poſſe. Oſtendant tamen aliquod exemplar ſaltem eius auctēticum. Atqui ne id quidem eos poſſe eſt compertiſsimum. Si igitur teſtamento tanti Principis tam recenti memoria, eorum nitatur poſtulatio, cuius nec archetypum, nec auctenticum aliquod exemplar exiſtat vſpiam, quo tandem prętextu Reginam excludent? Aut propter ſanguinis propinquitatem,aut per ſcripturam & donationem,vt petant neceſſe eſt,nihil eſt tertium. A priori natura excluſit: ſcripturam aut donationem quam oſtendant, non habent.

Exclamabunt credo,ſcriptum illud perijſſe,aut etiam furtim ſubductum eſſe conquerentur, nec æquum eſſe, vt tali infortunio ius ſuum penitus amittatur. Eſſet fortaſsis aliquid quod dicunt, ſi in cauſa priuata accidiſſet, & ſi eorum poſtulatio non & commune ius patrium,& ipſius naturæ legem planè deſtrueret. Eſſet aliquid, ſi charta ſeu ſcriptura quam obtendunt, Regina auctore perijſſet, aut fraudulentis eius rationibus intercidiſſet,

in

in quam fieri non poteſt, vt vlla vel minima huius rei cadat ſuſpicio. Aliquid eſſet, ſi vel ipſi ad lucra & emolumenta non aſpirarent, vel illa non à damno duntaxat & detrimento ſibi proſpiceret. Fit enim damnum, quando quis iure ſuo ex lege & ratione debito ſpoliatur. Et permultùm ſanè intereſt, ſi ad legem & rationem reſpiciamus, inter ſpem lucri atque honoris, (lucramur autem id quod nobis dati aut legati nomine accreſcit, ſicut diadema iſtis competitoribus, & hęredibus D. Franciſcæ) & inter fugam damni atque detrimenti. Damnum autem in lege factum reputatur, cùm auita hęreditate defraudamur. Quòd ſi igitur æqua rationis, legis, & conſcientiæ lance vtrunque expendatur, damnum mero lucro, & emolumento pręponderabit. Imò ampliùs aliquid dicam. Si vel Regina Scotiæ, vel alius quiſquam in regni poſſeſsione conſtitutus eſſet, qui ius aut titulum nullum haberet, niſi tamen proles Dominæ Franciſcæ meliora & clariora tituli ſui argumenta producere poſſet, quàm has quas obtendunt, ſcripturas, ſecurum redderet defenſorem ipſa poſſeſsio, nec teneretur tituli ſui rationem reddere. Eſt enim axioma legis, Si accuſator probando deficiat, liberabitur defenſor, etſi nullo alio quàm poſſeſsionis iure nitatur.

Non eſt par ratio, lucra non capere, & dãna ſentire. l. fin C. de Codicil. & l. Procluſ. ff. de damno infecto. Inſtit. de legat. ſ. c.

L. cogi poſſeſſorem. C. de petit her. l. fin. C. de probat.

Nec eos quicquam iuuare poſſet exemplar illud Cancellariæ, quod obtendunt, ſi iam extaret, non ſolùm ob eas cauſas, quas diximus, ſed alias multas. Meritò enim dubitari poteſt, quamuis exemplar illud ſatis magnam fidem apud omnes huius regni ſubditos

habiturum esset, an eandem contra non subditos habere queat. Quid, quod inter regulas quoque iuris est, si publicum instrumentum meminerit alterius, nihil probat contra hominem ex ijs quorum talis fit mentio, nisi archetypum ipsum seu primarium instrumentum proferatur. Quare si Competitores isti instrumenta & scripta sua assertoria & demonstratoria amiserint, quibus ad alterius notissimi tituli exclusionem postulatio facta niti debeat, ferendum est illis hoc incommodum, qui inde emolumenta sua & honores sperabant, non illi, quæ nihil aliud petit, quàm id quod lege & ordine est omnino suum. Imò est cur singuli nostrûm existimemus, hoc (si tale aliquod aliquando testamentum fuit) Deo permittente per summam eius prouidentiam factum esse. Vix enim est credibile, eiusmodi scripta (de rebus pręsertim tanti momenti, quales complectitur illud testamentum) tam citò extingui, & perire potuisse, quasi ex composito, & instituto ac singulari quodam consilio, vt huic amplissimo & nobilissimo regno salua semper maneret proximi sanguinis regij vera & germana successio. Quæ si quibusdam interpolatis chartis & scedulis nescio quibus, ad alios iniustos hęredes transportaretur, miraretur orbis terrarum tam inauditum facinus, & obstupesceret: Angli verò & eorum posteri ferendo non essent, quæ inde mala sint euentura. Tantùm igitur abest, vt quod maximè in illa commissione spectabat Parlamentum, id ex hoc testamento pręstetur Angliæ regno & eueniat, nempe certum & indubitatum

L. si quis in aliquo documento. C. de edendo.

Princi-

Principem agnoſci, diſſenſiones omnes & ambitioſas de imperio factiones pręcidi, vt quod timebat Parlamentum maximè, illud maximè expectetur miſerrimè & calamitoſiſsimè euenturum. Qui memoria repetit geſta pręteriti temporis planè tragica, à Richardo vltimo, nomine quidem Rege, re autem vera tyranno maximo, non eſt cur dubitet, quin, vt illi religio non erat, fratri natu maximo Regi Eduardo 4. eíque legitimo, nothi maculam falſò inurere, & naturali matri ſuæ infamiæ notam affingere: ita non defuturi ſint, qui ad promouendum & amplificandum qualencunq; ſuum titulum, facilè induci queant, vt omnibus modis iuſtos poſſeſſores de throno ſuo regali deturbare, & diadema de eorum manibus extorquere moliantur.

Quæ calamitoſa dies ſi (quod Deus auertat) aliquando incideret, tum exclamare licebit, & miſerandum in modum eiulari atque ingemiſcere, tum non ſine cauſa omnium turbarum, miſeriarũ, atque malorum Oceanus expectãdus erit ad Remp. Angliæ penitus obruendam & ſuffocandã. Quæ vel cogitare ſolùm abhorret animus, & tremula penna ſcribere omnino detrectat. Quin ſupplex à Deo Opt. Max. ardentiſsimis votis cõtendo, vt nobiliſsimum & antiquiſsimum Angliæ regnum, cuius ſe hucuſque defenſorem & protectorem ſemper exhibuit, à tot ærumnis ac calamitatibus omnino & in perpetuum liberet.

FINIS.

Q

AD ANGLOS ET SCOTOS, VT QVI TEMPORIS BELLORVMQVE INIVRIA IAM DIV DISTRACTI FVERVNT, TANDEM ALIquando animis consentiant, & perpetua amicitia in vnum coalescant,

PARÆNESIS.

SI Reip. nostræ Britannicæ detrimenta, variarúmque eiusdem insulæ ciuitatum veteres animo calamitates repetamus, non minimam incommodorum partem discordia inuectam esse, comperiemus. Contrà verò vrbes constitutas, plurima bella extincta, sanctissimas amicitias, firmissimo illo humanæ societatis vinculo, concordia, conflatas, literarum monumenta satis testantur. Tanta est enim concordiæ vis, vt omnia, quæ rerum vniuersitate comprehenduntur, consensione amicitiam iungant, conflent, atque componant. Hęc humanum genus fusum, dispersum, & abditum, primùm in vnum locum compulit, & congregauit, coactum in fide continuit, ac politiæ formam decreuit. Vniuersas quoque gentes, Gallos, Hispanos, Germa-

 nos

nos, cęterósque, in amicitia, & charitate coërcet: singulis Principe, pro rerum locorúmque conditione, designato, qui è multis vnicam Reip. formam pręscriberet, ac eam placidè tranquilléque administraret. Ideóque sapientißimus illè Lycurgus, à suis Spartanis interrogatus, quo pacto hostium vim, ac incursionem propulsare possent, prudentißimè respondit, Si vos concordi amicitia, & beneuolentia complexi fueritis, mutuásque certationes reieceritis. Scipionem quoque Africanum, cùm Numantinos varijs certaminibus fregisset Tyresium Celtarum Principem ferũt rogasse, quî Numantia tã diu acie inuicta fuisset, & postea tandẽ diruta? Quia (inquit Tyresius) ciuium concordia victoriam ijs tribuit: discordia verò, exitium attulit. Nam quemadmodum nihil est tam infirmum ac debile, quod concordia non augeatur: ita nihil est tam validum, quod dissensione non exturbetur. Constat enim pręclaras Resp. discordia seditionéque interueniente, conuulsas ac labefactatas esse. Vt nullum imperium sit tam bene munitum, nulla ciuitas tam bene stabilita, nulla denique domus tam firma, quæ non odijs, ac dißidijs funditus euertatur, dißipetur, ac diruatur. Nam discordia (vt ait Liuius) ex vna ciuitate duas facit. Aristobuli & Hyrcani fratrum controuersia Iudaïcum imperium in Romanorum potestatem subiecit, cùm alter contra alterum, Pompeium in subsidium euocasset. Et Principum Christianorum dissensio, imperium Constantinopolitanorum in Turcarum tyrãnidem transmisit.

Vni-

Vniuersa Syria Godefrido Bullonio duce parta, Christianis cesßisset: nisi discordia interueniens, breuem eorum inanémque victoriam effecisset. Quapropter, cùm in constanti animorum consensione, tantum momenti ac ponderis insit, vt inde Reip. salus dependeat: in concordia fouenda, tuenda, ac retinenda, summo studio est laborandum. Et cùm animo perpendo, quot quantísque beneficijs, ac muneribus Deus Opt. Max. vestram Britanniæ insulam, prҫter cҫteras orbis terrarum ditiones ornarit, satis mirari nequeo, quid causæ sit, quare in fœdere iciendo, æternáque pace constituenda, magis solliciti non estis. Hoc enim vos ad summa beatitudine ac fœlicitate fruendum deficere videtur. Cùm vestra hҫc insula ita rerum vsui necessariarum abundet: vt eorum, quæ homini optare licet, nihil in ea desiderari poßit. In primis enim, omnium tum quibus vsus opus habet, tum quæ voluptas exigit, maximam habet copiam: vt non solùm aliarum regionum prҫsidio non egeat, sed etiam tanquàm refertißimum quoddam copiæ cornu, affatim alijs prouincijs plurima subministret. Deinde tanta copia, & fœlicitas ab omni hostium incursione, loci natura, tuta, & immunis redditur. Insula enim vndique maris littoribus, tanquam foßis & mœnibus firmißimis, cingitur. Prҫterea, soli cælíque benignitas (cæterarum nationum hҫc bona venia dixerim) homines apud vos producit, siue corporis forma, & robore, siue animi excellentia, & prҫstantia, longè spectatißimos. Vnde fit, vt Britan-

nia, non solùm ad se suáque tuenda, sed etiam ad rerum summa potiendum nata, & apta esse iudicetur. Nam Creta insula, veterum sententia opportunè sita esse videbatur, ad imperium Gręciæ occupandum: eò quòd ab omni parte, mari allueretur, & hinc Peloponneso nō procul abesset: illinc verò Triopio immineret. Eáque de causa, Minos Cretensium Rex, maris imperium adeptus est, & in cęteras vicinas insulas irruptionem fecit, ac in eas nouos colonos transmisit: & nisi è viuis excessisset, (vt ait Aristoteles) cùm Siciliam expugnare tentaret, imperij Cretensis limites ac fines longè latéque propagasset. Vestra autem insula, quot partibus Cretæ antecellit? Nullum sanè dubium est, quin multa maiores vestri pręclarè magnáque cum laude gessissent, nisi naturæ pręsidia & conatus vestris dissidijs irriti facti fuissent. Causam verò harum dissensionum indagantem, ratio ipsa in hanc potissimùm sententiam ducit, vt existimem Principum multitudinem, populíque animos varijs partibus infectos, contentionum ansam prębuisse. Plurium enim potestas, controuersiæ ac dissensioni maximè subiecta est. Et ideo diuinus Aristoteles, cùm summam rerum vniuersitatis consensionem animaduerteret, Mundum ab vno Deo constitutum, acutè, ingenioséque colligit. Homerus quoque poëticè fingens Deos inter se contendentes de vrbis Troianæ incolumitate & excidio: cùm hi Troiam euertendam esse censerent, illi verò reclamarent: tandem in hanc exclamationem proru-

pit

pit: Plurium imperium nequaquam vtile eſt, vnicus Princeps eſto. Nam quod eius generis eſt, in quo plures eminere poſſunt, in eo plerunque, crebræ controuerſiæ oriuntur: vt firmam ſocietatem conſeruare, ſit difficillimum. Quò magis enim quiſque cęteris magnitudine, vel potiùs animi atrocitate excellit, eò minùs æqualem ferre poteſt, iuxta illud:

> Nulla fides regni ſocijs, omníſque poteſtas
> Impatiens conſortis erit. -
> Nec quicquam iam ferre poteſt Cæſárue priorum,
> Pompeiúſue parem. -

Et huiuſmodi contentiones inter veſtros Principes, iam à bis mille plùs minus annis, veſtram pacem, ac tranquillitatem perturbarunt, lacerarunt, diſsiparunt. Ita vt eorum effrenata dominandi cupiditas (quæ bellorum eſt ſeminarium) veſtris opibus, vigilijs, ſudore, ac ſanguine ſit enutrita. O Pop. miſerrimum! ô ærumnoſam ac infœlicem conditionem! quàm nulla fortuna, nulla neceſsitas, nulla denique fata tulerunt: ſed ſola pertinacia, & animi cœcitas. Permagna ſanè inſania eſt, ſe, ſuáque omnia, patriæ ac Reip. ſalutem, & libertatem, aliquot tyrannorum libidini, ac cupiditati poſtponere. Quemadmodum Sichemitas factitaſſe monumentis conſignatum eſt. Hi etenim impuri illius Abimelecis oratione commoti, eidem Reip. gubernacula detulerunt, eius autem turbulentam ac ſeditioſam concionem audire videor. Ego (inquit) ſum os veſtrum, & caro veſtra: meliùs eſt igitur, vt ego vobis imperem, quàm fratres mei, qui externi ſunt. Itaque in eius im-

perium inclinauit populus dicens, frater noster est. Abimelechus itaque in quinquaginta fratres, & thoro legitimo ortos, manus cruentas intulit, vt ipse nothus solus regnaret. Verùm Deus posteà, quod malũ perpetrarat, ei reddidit. Sichemitis quoq; iuxta quod operati erant, retributio facta est: & venit super eos maledictio Ioathan. Idem facinus ferè apud Anglos commisit impius parricida Richardus tyrannus, qui vt regno poti-retur, nec demortui fratris honori, nec vitæ nobilis̃s. ciuium, nec nepotum Regni hęredum sanguini, nec denique horum matris Reginæ pudicitiæ pepercit: tanta & tam impotens regnandi cupiditas, crudelis̃s. tyranni ferocem animum inuaserat.

Sed exploratum mihi est, neminem vestrum hoc tempore esse, qui huiusmodi dominãdi cupidis faueat: nisi eos qui vtilitatẽ ex publico vniuersæ insulæ incom modo captare student, & Christianæ institutioni, Machiauelli doctrinam pręferunt. Spes itaque me tenet, antiquum hoc opprobrium Anglis obijci solitum, deletum iri. Ferunt Anglos (inquit Pollidorus) ex vetere instituto minimè omnium gentium, Remp. curare, factionibus studere, itaque Regnum nobilisimum sæpe aduenis deprędandum exposuisse. Quòd certè Anglis vsu venisse res ipsa comprobauit. Nam in regni initio vt idem Polid. lib. 1. narrat, cùm potentisimi quique regnum appeterent, tamdiu pugnatum est, donec imperij summa ad quinque tyrannos delata esset. Itaque hęc ætas bellis, disidijs ac seditionibus atrox fuit. Hi enim maxima regni cupiditate accensi, & odijs mutuis

inflammati, prꝗſtãtes ciues bellis ciuilibus torquebant. Verùm cùm iſti, breui mutuis vulneribus cecidiſſent, Reip.cura vni Gentilicio demandata eſt:ſub quo Reſp. (diu anteà ciuilibus bellis conuulſa) tandem ad pacem & tranquillitatem reducta eſt. Harum Principum factionum mentionem faciens Corn. Tacitus ait, Britannos tam varijs ſtudijs fuiſſe diſtractos, vt vix duæ Ciuitates ad commune periculum repellendum accurrerent:& dum illi inter ſe pugnarent, vniuerſos eſſe victos. Prꝗtereà talis quoque diſſenſio inter Britanniæ Auſtrales incolas, & Septemtrionales (qui etiam Scoti appellantur) maiores veſtros orta,Britanniæ Regnum ad Angloſaxones tranſtulit. Illi enim aduerſus Scotos, à reliquis Britannis in ſubſidium accerſiti, tandem contra eoſdem arma verterunt, illóſque Regno ſpoliarunt. Britanni igitur veram eſſe Vigetij ſententiam experiẽtia ſenſerunt, ciuile odium ad inimicorum perniciem prꝗceps eſſe, ad vtilitatem ſuæ defenſionis incautum. Angloſaxones verò Regno potiti, diſsidijs etiam ac factionibus diſtrahi cœperunt: ita vt ex vnico Regno, ſeptem ſint erecta, totidémque Reges conſtituti: quorum diſſenſsionibus, Reſp. longo tempore diſsipata eſt, dum multis annis elapſis, principatus ad ſolum Egbertum redijt. Hic primus Britanniam Auſtralem, Angliam nuncupauit.Sed cùm ſub iſto Egberto Saxonum vires incrementa caperent, Scoti Achaio regnante, veriti ne Saxones eadem tyrannide contra ſe vterentur, qua erga cꝗteros Britanniæ incolas vſi

erant

erant, ſocietatis fœdus cùm Carolo Magno inierunt, & confirmarunt: vt vterque Pop. alteri contra communem hoſtem, ſuppetias ferret. Simili diſcordia interueniente, Dani Suenone duce, Saxonibus Angliæ Regnum ademerunt: ac tandem Northmanni, Gulielmi Nothi ductu, eodem potiti ſunt: & ab eo tempore, vniuerſa inſula hactenus ſub duorum tantùm Regum imperio remanſit. Qui quidem, licet plures numero non ſint, veram concordiam ſeruare non potuerunt. Si quis autem rationem inueſtiget, cur Britannia non ita commodè ferre poſsit plurium Principum imperium, quemadmodum Germania, Italia, & celeberrima Venetorum Reſp., comperiet in his ferè vnum præ cęteris eminere. Germaniæ enim Principes, tametſi magna viuendi libertate fruantur, nihilo minùs Imp. poteſtati ſubiecti ſunt, quòd ad pacem inter eos, concordiámque tuendam, plurimum confert. In Italia quidem, nullum firmum eſt imperium, cùm plurium non vnius tantùm dominio ſubſit: eaque de cauſa, minùs fœlicem, ne dicam miſeram, ſcriptores quidem exiſtimant. De Venetorum Rep. Conteranus hęc ferè memoriæ prodidit. Cùm (inquit) omnis ciuitas ſit concordiæ, & vnius conſenſus vinculo conſtructa, & colligata, & hęc conſentiens voluntas retineri non poſſit, niſi aliquis vniuerſo Pop. ac Magiſtratui pręferatur, qui Pop. fuſum & diſperſum, quaſi in vnum corpus cogat: ſapientiſsimè itaque à maioribus noſtris conſtitutum eſt, quòd in noſtra ciuitate eſſet quędam regia

poteſtas

poteſtas, & vnus eligeretur, qui Princeps diceretur. Itaque ex his liquere arbitror, vnius imperium Reip. neceſſarium eſſe. Neque ſolùm in politijs, ſed etiam alijs in rebus, id cernere eſt. Nam vnius Dei prouidentia mundus adminiſtratur, vt corpus humanum ab vno animo regitur, nauis ab vno gubernatore moderatur, domus ab vno patrefamiliâs. Ex illis igitur ſequitur, Britanniæ inſulam, non poſſe commodè à pluribus adminiſtrari. Quapropter, partium, ac factionum ſtudia ab omnibus repudianda ſunt, & ab ijs potiſsimùm, qui in ciuitate Dei ſunt educati. Hi, inquam, diſſenſionibus ſublatis, cùm D. Auguſtino hortentur omnia quæ inter Chriſtianos, ad ſedandas diſcordias, concordiámque adducendam faciunt: quæ nihil aliud eſt, quàm animi quies ac tranquillitas, amoris & charitatis vinculo deuincta & conſtructa, quęque inimicitias & ſimultates aſpernatur, omnéſque eadem beneuolentia complectitur. Charitas enim (vt ait D. Paulus) patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non cogitat malum, non gaudet de iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Hanc ſententiam ſi amplexi fueritis, illico omne odium deponetis, omnéque faſtidium ac arrogantiam ex animis veſtris euelletis, & in perpetuũ arma inſana, quibus hactenus inaniter dimicaſtis, eijcietis: atque pacem æternam, Chriſtianam, ſalutarem, ac tutam, ſine dolo, ſub cóncordi, ſtabilique vnius

Principis imperio componetis. Sic autem nos admonet honestas, sic vtilitas, sic denique negotia, tam publica, quàm singulorum requirunt, & postulant. Et quod magis est, sic Deus Opt. Max. iubet atque pręcipit.

Qui verò his refragatur, filius Dei non est vocandus, cùm non sit pacis amans, neque cum huiusmodi hominibus, viris bonis habenda est societas, sed potiùs aliò ablegandi sunt, cũ pręceptoribus ciuitatis Dei hostibus acerrimis: nempe quorum doctrina humanæ societatis fundamenta tollit, tyrannidémque constituit. In his nulla inest salus ciuium, nec patriæ amor, nec diuini cultus, & obedientiæ cura, sed tantùm effręnata quædam dominandi cupiditas, quæ omnia occupabit, ciues è medio tollet, patriam perdet, omneméque religionem aspernabitur. Quemadmodum factum ferunt à monstro illo impuro Cęsare Borgia, quem Atheus quidam Principibus tanquam perfectissimum quoddam exemplum ad imitandum proponit. Quòd autem pretermittendi sunt hi diuini luminis & humanæ societatis hostes, prudenter admodum nos Christianus Philosophus D. Bernardus admonet: Non timeas (inquit) contra charitatem esse, si vnius scandalis multorum pacem compensaueris. Potiùs quoque veris Principibus, M. Tullij capessendum est consilium. Ea (inquit) animi elatio, quæ cernitur in periculis & laboribus, si iustitia vacat, pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis, non modò virtus non est, sed potius immanitas, omnem humanitatem repel-

repellens. Itaque (inquit) viros fortes & magnanimos eosdem bonos, & simplicis veritatis amicos, miniméque fallaces, esse volumus. Quam sententiam sequutus videtur Eduardus Anglorum Rex. Nam in exilium missus, dicere solebat, se malle perpetuò priuatam vitam ducere, quàm per hominum cędem Regnum recuperare. Pręclara sanè vox,& tanti Regis digna. Pacis igitur publicæ perturbatores è nostra Rep. explodamus, vt faciliùs concordi amicitia & consensu coniungatur. Vt autem hoc consequamur, Philosophi consilio ac ratione vtendum est. Dicimus (inquit) ciuitates concordes esse, cùm in publicis ac necessarijs negotijs, idem sentiunt, idémque consilium captant, & quod consensu communi comprobatum est, exequuntur. Veluti exempli causa, cùm ciuibus placet, magistratus decerni,aut Pittacum Imperatorem esse. Quum autem vterque cupit sibi magistratum demandari, vt Oteocles, & Polynices apud Phœnices, tum seditio concitatur. Illa verò concordia ciuilis dicitur, amicitia, quæ inter viros probos tantùm conseruatur. Hi enim inter se, & cum alijs consentiunt, quæ eorum voluntas constans, & firma manet: neque illi Euripi instar, fluunt, & refluunt. Improbi contrà, diu inter se concordes, ac consentientes esse non possunt, eò quòd in Reip. administratione multùm emolumenti percipiunt, laboris verò ac sumptus parum insumunt: & inde seditiones oriuntur, dum alij alijs damnum inferunt,ipsi verò officio fungi nolunt: ideóque communis res perit,cùm

 à ci-

à ciuibus non protegitur. Hęc Philosophus. Quod autem ad hanc amicitiam attinet, poterit faciliùs inter vos conflari & confirmari, quia inter vos eæ rés concurrunt, quæ ad consensum copulandum multùm conducunt: nimirum eadem affinitas & cognatio, idem genus, eadem lingua, mores propemodum ijdem, eædem leges, idem vultus, ac corporis habitus, omnia denique, quæ ad æternam pacem & concordiam procreandam, & retinendam faciunt, magis inter vos quadrant, quàm inter cęteras nationes, quæ olim inter se, tum patria, moribus, & legibus, tum lingua & affinitate disſitæ, iam ciuili consensione, sub vnius Principis imperio, coniunguntur, & conciliantur. Verùm alicui vestrûm imposſibile fortè videbitur, hunc Pop. inter se tantam concordiam conseruare posse, cùm tam multis retrò actis seculis, bellis, rapinis, ferro, flammáque omnem hostis impetum in se mutuò exercuerit, cęlúmque terræ miscuerit, cùm natura humana non ferat, vt huiusmodi odia, & iniurias nobis illatas obliuioni tradamus: deinde, vtrunque millies mori malle, quàm Principi ex altera prouincia orto parere, ne alter videatur aliquando, ab antiquo hoste sub iugum mitti, postquam tandiu de imperio certatum est. Itaque Anglum nolle vllo pacto Scoto Principi subijci, neque vicisſim Scotum Anglo. Impius quidam Atheus, qui vanam ambitionem, inanémque animi elationem Reip. saluti prępónit, huic fortasſis sententiæ subscriberet, atque acquiesceret: quæ tamen maximè absona,

atque

atque abſurda eſt. Quaſi aliquis ex nautis, coorta tempeſtate, dicat ſe malle cum naui perire, quàm pati nauim à ſocijs gubernari. Sed acriùs rurſus inſtabit: Quî fieri poterit, vt bene Anglis cum Scotis conueniat, cùm Scoti ſemper Gallorum ſocietatem Anglorum amicitiæ prętulerint? In primis enim ante annos ſeptingentos in Anglorum odium, fœdus cum Gallis inierunt, quod hactenus conſtanti animo conſeruarunt. Noſtra deinde memoria, cùm ſpes totius inſulæ in vnius Principis poteſtatem reducendæ, affulgeret: per matrimonium Eduardi ſexti, & Mariæ Scotorum Reginæ: Scoti, cùm eam Eduardo fide publica ſpopondiſſent, illam tamen Gallorum Regi tradiderunt. Quapropter eorum culpa contigit, non autem Anglorum, quò minùs ſocietas illa, quæ iam tantopere expetitur inter eos, culpata ſit. Quantùm ad fœdus illud cum Gallis factum ſpectat, id non cęterorum Britannorum odio, vt ſuprà diximus, ſed ſalutis ſuæ cauſa, à Scotis & Gallis exoptatum eſt. Quippe, niſi id feciſſent, Scoti è ſua ſede, vnà cum cęteris Britannis exturbati fuiſſent ab Angloſaxonibus, gente extera, & barbara. Verùm quod illud matrimonium ad exitum perductum non ſit, Anglorum cauſa vſu venit: cùm id quod precibus, gratia, & beneuolentia impetrandum erat à Scotis, minis, armis & viribus extorquere ſint conati. Nec deerat ſuſpicio, rem de induſtria ſic peractam fuiſſe, vt ita coniugio perturbato, facilior ad Angliæ Regnum occupandum aditus pateret. Vtvt res ſit, Scoti cum

armis cedere nollent, & vix tamen absistere valerent: coacti sunt Gallorum pręsidium implorare: quod impetrare non potuerunt, nisi Reginam suam tanquam fidei obsidem in Galliam ablegassent. Quod autem Scotis hac copulatione, coniunctionéque nihil fuit antiquius, inde satis exploratum est, quòd omnes in eam sententiam descendebant, antequam res armis tentata fuisset. Anglum loquentem intelligimus, ille vicissim nos loquentes intelligit: eandem insulam incolimus, nulla penè re distante, quàm duorum Principum imperio. Nam huic malo prouido sapientum consilio mederi facilè potest. Et quidem satis perspicuum est, abhinc multis annis Scotos hoc summis votis exoptasse, cùm Margaretam Regni hęredem vnicam, & defuncti Alexandri Regis Scotorum filiam, Eduardo I. Anglorum Regi in matrimonium collocarũt. Ex quo, vtraque regna tum coniuncta fuissent, nisi filia virgo, ante Regis mariti sui aspectum vitam cum morte immatura commutasset. Quæ cùm ita sint, nihil est, quod Anglus Scoto exprobret, & obijciat, nec quod Scotus Anglo: sed potiùs vno ore & consensu simul conuenire deberent, vt si nullus superesset, ad quem iure totius insulæ principatus pertineret, Princeps vnus siue suffragijs, siue sorte decerneretur: vt deinceps neque Reip. neque Pop. tranquillitas, hominum partibus, sectis, ac factionibus perturbaretur. Quemadmodum Persas prudentissimè olim factitasse, memoriæ proditum est. Occisis Magis (vt inquit Iustinus) magna quidem glo-

ria

ria recuperati regni fuit: ſed multò magis in eo quod cùm de regno ambigerent, concordare potuerunt. Erant enim virtute, & nobilitate ita pares, vt difficilem ex his Pop. electionem faceret æquitas. Ipſi igitur viam inuenerunt, qua de ſe iudicium religioni committerēt. Pacti inter ſe ſunt die ſtatuta, omnes equos ante regiam primo mane producere: vt cuius equus ante ſolis ortum, hinnitum primus edidiſſet, Rex eſſet. Poſtero die, cùm ad ſtatam horam omnes conueniſſent, Darij Hydaſpis filij equus hinnitum ſtatim edidit, & fœlix omen domino primus emiſit. Tanta moderatio cęteris fuit, vt audito auſpicio confeſtim equis deſilierint, & Darium Regem ſalutarint: Pop. quoque vniuerſus, ſequutus iudicium Principum, eundem conſtituit regem. Sic Regnum Perſarum VII. nobiliſsimorum virtute quęſitum, tam breui momento in vnum collatum eſt. Incredibile prorſus hoc tanta pietate, in patriam geſsiſſe eos: quod vt eriperent, magis mori non recuſarint. Hæc ille.

Immortalis ſanè horum Principum laus, qui ſalutem patriæ priuatorum ambitioni lubenter prętulerint. Verùm Deus Opt. Max. vos hac dubitatione liberauit. Nam perſpicuè ob oculos poſuit, cui nam vniuerſæ inſulæ regnum Gentilicio iure obueniat, poſtquàm illa quæ nunc Reip. Anglicanæ clauum tenet, ex hac mortali vita in aliam tranſlata fuerit. Sereniſsimæ nempe Scotorum Reginæ Mariæ, cuius inſignis pietas, inuicta in aduerſis conſtantia, per vniuerſum

ter-

terrarum orbem diffuſa, perſpicuè demonſtrat vanam eſſe eorum ſententiam, qui mulierum principatum, & adminiſtrationem deprimunt, & contemnunt. Ad hanc itaque totius inſulæ regnum tandem perueniet, cùm etiam Henrici VII. Regis optimi eiuſdem Reginæ proaui, conſilijſque publici ſententia, illi adiudicatum fuit, vt in Henrico VII. narrat Polidorus. Rex Scotorum (inquit) Iacobus III. Richardum Henrici VII. legatum humaniter excepit. Et primùm de recente ſuorum cęde quęſtus, facilè iniuriam condonauit: deinde remotis arbitris, docuit quàm veteres, quámque iuſtæ cauſæ neceſsitudinis, ſibi cum Henrico intercederent: & eos maiore quodam amoris fœdere corroborandos eſſe ſummè ſe appetere, quod proculdubio fieret, ſi ille vellet ſibi Margaretam filiam ætate maiorem, in matrimonium dare Richardus ad ea modicè reſpondit, operámque ſuam pollicetur bonam Oratoris de connubio mittendi ſpem Regi fecit: domúmque reuerſus, omnia ſuo regi retulit. Ea mirum in modum delectabant Henrici animum, cui pax maximè cordi erat: paucíſque pòſt diebus, Iacobi legati ad petendum Margaretæ coniugium, è Scotia venerunt. Henricus ijs auditis, rem ad conſilium detulit. Erant qui ſuſpicarentur, poſſe fortè aliquando contingere, vt hęreditas regni Margaretæ veniret, ac propterea eam externo Principi non locandam iudicarent. Ad ea Rex reſpondit, Quid tum? Si enim tale quid accideret (quod Deus omen auertat) video futurum, vt noſtrum

regnum

regnum, nihil inde damni faceret: quoniam acceſsio Angliæ non ad Scotiam, ſed ipſius Scotiæ ad Angliam fieret, tanquam ad totius inſulæ caput nobiliſsimum: cùm ſemper quod minus eſt, ſoleat ad decus & honorem ei accedere, quod eſt longè maius: quemadmodum olim Northmannia in ditionem & poteſtatem venit Anglorum maiorum noſtrorum. Ita laudata Regis ſententia, & cunctis vna voce rem probantibus, Margareta virgo Regi Iacobo parta eſt. Hęc Polidorus. Grauis ſanè oratio, quęque rem de qua ambigitur, extra controuerſiam ponit: eò quòd eam iudicio agitato, & diſcuſſo confirmarit, cui quidam Iuriſconſulti multum ponderis ac momenti tribuunt. Hęc igitur, quinam veri ſint Regni Anglici & Scotici hęredes, tanquam digito indicant. Et fęliciſs. fauſtiſsimúmque toti inſulæ hoc Iacobi IIII. & Margaretæ matrimonium fuiſſe exiſtimandum eſt. Nam ſi Henrici VII. & Elizabethæ Eduardi IIII. Regis filiæ connubium Anglis fortunatum iudicatum ſit, eò quòd partium ac factionum ſtudijs, quæ inter Lancaſtrenſem & Eboracenſem familias intercedebant, quibuſque multos annos pręmebantur, ſoluiſſet, ac liberaſſet: quid (quęſo) de Iacobi IIII. Regis Scotorum, & Margaretæ Anglorum Principis filiæ, matrimonio dicendum erit: cùm huius beneficio, iam tandem à funeſtiſsimis illis bellis inteſtinis, quibus pro imperio Angli Scotíque dimicarunt, aſſerti ſint? Fauſtus ſanè Anglis fuit Henricus VII. eò quòd per eum Deus Opt. Max. omni diſſenſione

pacata, ac ſedata, Eboracenſem, & Lancaſtrenſem familias coniunctiſsimè copulauit. At longè fęliciſsima ſereniſsima Maria Scotorum Regina, optimęque ſpęi Princeps eius filius & hęres, Anglis Scotíſque erunt, per quos, idem rerum omnium moderator, vtrunque Pop. iam imperio diſiunctum, alterum cum altero connectet: inſulámque Britannicam in antiquum ſtatum ac priſtinam dignitatem reſtitutam, à feroci bellorum ciuilium tumultu, immaníque atrocitate vindicabit. Amplectimini igitur mortalium fœliciſsimi Britanni: amplectimini ſummum hoc ſempiterni Dei beneficium, eíque gratias immortales agite, quòd pro infinita in vos clementia & benignitate, Principem vobis tandem è veſtro vtriuſque ſanguine procrearit: cuius ope, veſtri inteſtini tumultus, ac ſeditiones, extinguantur, & diuinæ huic legi locus relinquatur, Pop. ſalus ſuprema lex eſto. Salus enim Pop. in pace potiſſimùm concordiáque verſatur. Perpetua autem pax, & quies inter vos conſiſtere nequit, niſi duo hęc regna ſimul conglutinata fuerint. Vnitatis enim tanta vis eſt, vt eius conſeruatio ſit naturæ finis vltimus. Hinc quoque inter homines charitas, amor, amicitia, vt vnus quaſi animus fiat ex pluribus. Primùm quidem vt homines verè ſint, deinde, vt bene beatéque viuant, qui vltimus hominis finis eſt. Cùm itaque hęc ita ſeſe habeant, vobis omni ſtudio enitendum, & elaborandum eſt (ſi Deum naturęque inſtitutum ſequi, ſi Patriam ac Rempublicam ſaluam eſſe, ſi denique bene

bene beatéque viuere, æternáque tandem beatitudine frui cupiditas vos tenet) Vobis inquam, ſumma danda eſt opera, vt Pop. hic diſperſus, ſub debiti ac congruentis Principis imperio, auitáque Catholica religione colligatur, & in vnum conferatur. Quod Deo Opt. Max. in primis gratum erit, vobis verò, totíque Pop. Hyberniæ quoque, vti Angliæ & Scotiæ, ſummam tranquillitatem, pacem & quietem adferet. Hoc vt eueniat, rerum omnium moderatorem quilibet noſtrûm aſsiduis precibus non deſinat implorare.

DE ILLVSTRIVM FOEMINARVM IN REPVB. ADMINISTRANDA, AC FERENDIS legibus authoritate, LIBELLVS,

Opera Io. Leslæi Episcopi Rossensis Scoti, dum pro Serenissima Principe Maria Scotorum Regina iam pridem in Anglia Legatum ageret, patrio primùm, nunc verò Latino sermone in lucem editus.

RHEMIS,
Excudebat Ioannes Fognæus, sub Leone.
1 5 8 0.
CVM PRIVILEGIO.

SERENISSIMÆ, EXCELLENTISSIMÆ, OMNIQVE VIRTVTVM GENERE ORNATISSIMÆ PRINCIPI AC DOMINÆ D. CATHARINÆ DE MEDICIS, GALliarum Reginæ, Chriſtianiſs. Regum Matri ſapientiſſimæ,

Io. Leſlæus Epiſcopus Roſſenſis felicitatem exoptat.

QVEM paucis ab hinc annis, Regina Sereniſſima, librum de illuſtrium Fœminarum in ferendis legibus, ac in Repub. adminiſtranda authoritate, patrio ſermone conſcriptum in lucem edi curaram, eundem vt Latinum facerem, quorundam Principum rogatu, quibus quicquam denegare, mihi foret religio, tum neceſſarij vt mihi videbatur laboris dignitate, in primis verò erga meæ gentis Reginam Mariam Principem optimam, tuęque Maieſtati maximè addictam filiam, officio libenter adductus ſum. Ac quamuis omnibus his de cauſis hunc laborem quantuluncunque ex eo iam tempore moliebar, cùm Orator in Anglia negotijs ipſius Reginæ procurandis diutius aliquãtò diſtinerer: tamen vt in hanc cogitationem nunc vehementiùs incumberem, nec diutius rem differendam putarem, nõnullorum etiam effecit, & in loquendo proiecta temeritas, & iniquitas in conando: qui ea in Scotiæ Reginã dixerunt, quæ nemo niſi profligatus, in ſuum auderent principem cogitare: ea fecerunt, quibus indigniora ne in tyrannum quidem à ſubditis iratis fieri poſſe videantur. Qua quidem in re quid ego ſubditi fidelis officio dignius efficere potui, quàm eo ſermone, qui ab omnibus in omni loco poſſet intelligi, ſanctiſſimæ Reginæ nomen à ſceleratorum calumnijs, quantùm in me eſſet, vindicare, & iniurias iniquè illatas, iuſta ſaltem querimonia ac repręhenſione vlciſci? docereque eã non ſolùm hæreditatis iure, quod omnes ſciunt, Reginam eſſe: verùm, quod non omnibus videtur, fœminas, ea qua illa eſt virtute, nulla conditione ſexus impediri, quò minùs regno dignę

videri debeant? Iam si non modò clarorum hominum præsens virtus, sed etiam mortuorum senex memoria apud nos plurimùm valere debet: si multùm ijs nos debere putamus, quos videmus in Repub. excellere: si denique nihil est indignius, aut ab hominum societate alienius, quàm ab improborum lingua viros nobilitate præstantes violari, in quo genere officij cõuenientiùs meus labor potuit insumi, quàm vbi mihi pro meæ gentis Regina sit decertandum, cuius vitam præclarissimis constantiæ ac fortitudinis laudibus illustrem, in summa regni perturbatione, ac medijs hostium telis pro nostra salute versari videam? quàm paucorum hominum illius gloriæ inuidentium maledicentiam pro communi nobilitate castigare ac reprimere? Hęc apud te nimirum, Serenissima Regina, non sine causa mihi videor posse disserere, quæ tuis summis virtutibus, non solùm multorum Regum in administrando regno sapientiam superasti: sed etiam cumulatè pręstitisti, vt nulla lex Salica, nulla eorum ratio, qui nimis multa in eá sententiam aut loquuntur, aut scribunt, aut malè antiqua iura corrumpendo comminiscuntur, impediat, quò minùs in fœmina virtus ad moderanda Reipub. gubernacula, viro digna reperiri posse videatur: digníque sint eiusmodi homines, qui ad illam matronam erudiendi committantur, quæ apud Comicum his verbis conqueritur:

> Aedepol nę nos sumus mulieres, æquè omnes inuisę viris
> Propter paucas, quæ omnes faciunt, dignæ vt videamur malo.

Vnde si disciplinæ capaces sunt, discant etiam in fœmina viriles animos reperiri: nec virtute præstantibus fœminis de sexu communi anticipatam opinionem quicquam obesse debere. Nam si in sua sententia obstinatè persistere statuunt, conuertant in Galliam, regnum amplissimum ac florentissimum, oculos, téque vnam intuentes discant non esse pertinaces: cui tu tanta prudentia, cura, seduláq; in rebus gerendis solicitudine atque solertia fidelem operam præstitisti, vt nihil per te defuerit, quod ad tanti imperij molem sustinendam adesse debuit. Illa quæ in te vna virtutum ornamenta relucent aurea, omnem ex eorum animis scrupulum auferent, qui de muliebri sexu quidquam sinistri vnquam suspicati sunt. Quod si, vt certè debent, sententiam mutauerint, minùs fortassis hoc meo præsenti opusculo opus fuerit, cùm ex heroicis tuis virtutibus, tanquam Idæa quadam absolutissima, quicquid in illustribus fœminis requiri, desiderarívé possit, suppleri satis supérque queat. Interim tamen me in eo pręstare voluisse, minimè diffiteor, vt omnem misogyniam firmissimis argumentis, dilucidisque rationibus pro virili ex animo hominum funditus delerem Quem meum laborem quamuis exiguum, breui hac epistola tuæ Maiestatis patrocinio dicatum, in lucem exire volui, eóq; maiori studio,

quòd

quòd vt ſexum tuum inſigni tua illa virtute, prudentia, magnanimitate, dignitate, longè latéque ſuperas: ita etiam arctiori affinitatis, inuiolatæque neceſsitudinis vinculo, necnon ſyncera mentis pietate excellentiſsimæ illi Principi coniuncta ſis, quam ego ipſius excellenti virtute ac immortalibus erga me meritis omni ſtudio colendam mihi ac ſemper obſeruandam propoſui. Cui vt nunquam antehac pro modulo meo defui, ita & in poſterum quoque, quantùm in me erit, enitar, ne in his, quæ aut ad illius libertatem recuperandam, aut innocentiam defendendam, aut pietatem laudandam, aut denique dignitatem quouis modo amplificandam pertinere videbuntur, conſilio atque opere meo vlla ex parte defuiſſe, culpari iuſtè poſsim. Neque abs re factum me eſſe puto, ſi tibi optimæ innocentiſsimæque Reginæ ſalutem ac ornamenta commendauero, quòd à nemine, mea quidem opinione, eius patrocinium ſuſcipi debeat potiùs, quàm ab ea, quæ in eodem dignitatis faſtigio collocata, aliquam infortunij ſui partem non diſsimili propè euentu fuerit experta. Quippe Regina cùm ſis, eadémque dilectiſsimo coniuge improuiſa morte infeliciter orbata, totos viginti annos in viduitatis acerbitate, regnique perturbati adminiſtratione, cum ſumma patientiæ ſapientiæque laude verſaris. Quid verò magis tuæ conditioni conuenire potuit, quàm vt Reginæ procerum ſuorum factionibus afflictæ, & (quod iniquiùs ferendum eſt) nullo ſuo peccato in extera terra, exilij carceríſque pœnam ſuſtinentis, cauſam, ipſius caſu, ſorte viduitatis, tuæ pietatis officio commota, apud Chriſtianiſsimum Regem, eiúſque fratrē, tuos filios, agas, tuearis, atque promoueas? Tecum, quæſo, reputa, vt nemo præſtantiſſimum eſſe non opinatur regnare: ita cuiuis moleſtiſsimum eſſe, ac longè grauiſsimum de regno deiici, ob eámque cauſam nullam eſſe præclarorum Principum miſericordia ac ope digniorem, quàm Regum afflictam fortunam. Vnde tandem filiæ tuæ iniquiſsimæ ſorti condoleas, eíque quacunque in re potes, ope, conſilio, atque authoritate ſubuenias. Quæ vti tu hoc tempore, ſic & ipſa olim,

Septa armis, ſolióque altè ſubnixa reſedit,
Iura dabat, legéſque viris.

Pro qua tamen hoc ego conſtanter affirmare auſim, non tam ipſam moleſtè ſuum exilium ferre, quàm patriæ ignominia erubeſcere, cui iuſtam infamiæ maculam inuri videt, ipſa quòd iniuſtè exulet. Nam quòd ad alias, quas à calumniatoribus & maleficis hominibus perpeſſa eſt, iniurias attinet, non magis vanis eorum ſuſurris, famoſiſque libellis animo mouetur,

Ionio quàm ſaxum immobile ponto.

Probè enim, qua eſt ingenij ſagacitate, nouit nihil eſſe in terris tam

ſanctum, quod non hominum malitia violari: nihil tam munitum, quod non vi & armis expugnari: nihil denique tam innocuum, quod non aculeatis malorum Rhetorum ingenijs perſtringi queat. Quemadmodum enim Momus Veneris ſandalium, & Zoilus Homerum calumniari non pertimuiſt: ita malitioſa quorũdam hominum ingenia, vana eruditionis ſuæ fiducia inflata, quiduis etiam falſiſsimum, modò propugnant, modò rectè ab alijs dicta, praua interpretatione corrumpunt, modò etiam ad ſenſum libidini ſuę maximè accommodum, peruersè detorquent. Enimverò in diſsimili genere imitati, quod neſcio quem caninum Philoſophum, Diogenem prophanorum antiquitas vocat, factitaſſe ferunt, qui, vt exemplum vnum è multis proferam, exprobranti ſibi, quòd à Rege Philippo pallium accepiſſet, heroico illo verſu reſpondiſſe fertur:

Non ſunt abjicienda Deûm præſtantia dona.

Quod Homerus de corporis forma dixerat, id ille ad pallium à Rege datum, vnde auaritiæ crimen, aut certè animum parum philoſophicum tegeret, non ſatis aptè tranſtulit. Tales ſunt profectò Cinici iſti, qui canini & procacis linguæ mercatores, qui maledicendi ſtudio flagrantes, nũc panſis velis in fœminei ſexus dignitatem atque famam abſq; diſcrimine inuehunt: nunc contractis ijſdem, inſigni aliqua nota, ſingularibus de excellentiſsimæ Reginæ virtutibus ac iure, iniquis ſermonibus detrahunt. Sed ne epiſtolæ modum excedere videar, qua ſoles humanitate ſupplices tuorum libellos, Sereniſsima Regina, admittere, eadem vt hunc operis noſtri laborẽ ſuſcipias, Principémq; noſtram tibi affinitate ac pietate filiam, voluntate ſupplicem, acerbo caſu exulem & afflictam, commendatam habeas, qua poſſum animi contentione, etiam atque etiam efflagito. Qua in re, ſi vt non ſperare non poſſum à tua excellenti clementia, maternæ charitatis officio, optimorum Principum catholicorum omnium expectationi, noſtris denique votis reſponderis, tuæ virtutis ac dignitatis meritum, ſumma laude apud omnes homines cumulabis, tum apud Deum immortali felicitate dignius efficies.

IN PRÆSENTEM LIBELLVM DE ILLVSTRIVM FOEMINARVM AVTHORITATE, Carmen.

LESLÆVS felix animi, patiénſque laborum,
Fœminei ſexus titulos feliciter ornat.
Sed neque Saturno Cybelem fert eſſe priorem,
Nec, quoties Iouis imperium Saturnia Iuno
Corrigat, & verbo cælum ſuperóſque gubernet:
Nec, quantò ſuperet Martem Bellona, nec vmbris
Quas iubeat leges Plutonis amica. Tacétque
Pleiades iunctas aſtris, & (Perſeos artus
Quæ plantis premit) Andromeden, & Pharraſin vrſam,
Cuius clara polo Riphæo cauda propinquat:
Quàm ſuaues fuerint Charites, quàm caſta Sybilla,
Quàm pia Carmentis vates, Hortentia præſtans
Eloquio, Aſſyrio metuenda Semiramis orbe,
Penthesilæa trucem quoties æquarit Achillem,
Et quoties bello fuerit laudata Camilla,
Sceptrigerúmque Numam quantùm conſulta iuuarit
Ægeriæ virtus, quantùm pia mœnia Romæ,
Multáque, quæ multi quondam ſcripſere Poëtæ.
LESLÆVS meliora docet, multúmque probatis
Nititur hiſtorijs, vſu & virtute magiſtris:
Quàm vix exuperet muliebrem fama virilis,
Fœmina quàm dignè regno ſuccedat auito,
Quàm poſsit populum frænare, & condere leges,
Et dare conſilium ſummis de rebus agendis,
Inque tribunali ſacro diſcindere lites,
Et paci, bellóque præeſſe, & honoribus vti,
Et quodcunque aliud munus ciuile ſubire.
Hæc docet, & verè plena complectitur arte,
Et pia teſtatur primæuæ iura parentis,
Nec magis exponit, quàm ponit pagina ſacra.
Quinetiam aduerſæ fucata ſophiſmata partis,
Et malè connexas rationes, duráque verba

In

In caput ipſorum torquet, Matríque, piæque
Nutrici ingratum probat eſſe, nimiſque malignum,
Viperei generis ſimilem, qui talia fando
Fœmineæ petulans audet maledicere turbæ,
Oblitus nimiùm, Penthæo ſanguine quondam
Erubuiſſe ſatis meritò, Trieterica Bacchi,
Fœminei ſexus quoniam contemnere feſta
Non timuit, matrémque ſuam ridere canentem.
Fœlix, ô iterum fœlix Regina Maria,
Quæ clares inter muliebris nomina ſexus,
Vt ſtellas inter clariſſima Luna minores,
Dum tuus eſt Arcas L E S L Æ V S, & ipſus Apollo.

T. Str.

DE ILLVSTRIVM FOEMINARVM IN REPVB. ADMINISTRANDA AC FERENDIS LEGIBVS authoritate.

QVANQVAM Libello nuperrimè edito; copiosè ſatis, pro officij noſtri ratione, hæreditarium Sereniſsimæ Mariæ Scotorum Reginæ in regni Angliæ ſucceſsione ius demonſtrauimus: quia tamen, ſi veſani cuiuſdam hominis acerbis fraudulentíſque calumnijs (vt multis plerunque vſu venit) fides adhibeatur, fruſtra à nobis tempus operáque conſumpta videri poſſet: & de integro Syſiphius labor hic noſter erit ſubeundus. Nam omnibus, quæ à nobis adducta ſunt, cognitis & perſpectis, nihilominus (inquit ille) dubia eſt Scotorum Reginæ ad legitimam regni Angliȩ ſucceſsionem authoritas: cùm ab ea diuino humanóque iure prohibeatur. Itaque nunquam illi conſtanti hominum conſenſu (non quidem ſeditioſorum, ſed eorum qui ob ſuam in religionem, pietatem, ac in commune Reipub: emolumentum, beneuolentiam inter probos adſcribi merenrur) non inquam, horum conſenſu, in hoc regnum ſuccedere licebit. Quæ quidē eius verba inſigni quadam audacia prolata, paulò à nobis excutienda erunt accuratiùs: vt deprehendatur, quibus rationum momentis ille non ſani iudicij vir, ſed

Seditioſi cuiuſdam libellus argumētum ſcribendi dedit.

tamen religionis propagandæ ſcilicet, & Reip. vtilitatis prouehendæ ſtudio flagrans, has ſuas theſes confirmet. Quibus ergo legibus, quo Senatus edicto, qua denique antiqua conſuetudine hanc ſuam ſentẽtiam ſancit firmátque? Nullis ſanè horum omnium. Et dubiò procul non poterit vnquam argumenta tanti ponderis aut momenti adferre, quę noſtras rationes conuellant, aut vlla ex parte infringant. Sibi Suffenus ſit quantùm volet, ſimulatæque ſpeciem modeſtiæ præ ſe ferat: nunquam tamen ſupremarum Curiarum iudicijs, vſu receptis conſuetudinibus: nec denique vllo iure ciuili, aut humano, opinionem ſuam probabilem reddet. Hę enim leges ab illo, tanquam argumenta quædam futilia prætermittuntur: neque de infimis iſtis rebus, prodigioſi vir ingenij, agendum ſibi cenſet: ſed in ſublime potiùs tendendum, ibíq; ſolium ſuum locandum exiſtimat: vt inde cætera omnia, tãquam numine quodam afflatus, deſpiciat, & ſe minora deprimẽda ducat. Nam hæc controuerſia, iuxta ingenioſi iſtius hominis ſententiam, non in publico iuris auditorio diſceptari, dijudicaríue: ſed authoritate duntaxat ſacræ ſcripuræ, eius arbitratu explicatæ, dirimi debet. Ego quidem veritati inexpugnabili & ſacroſanctæ Scripturæ maieſtati penitus aſſentior, eámque tota animi ſubmiſsione & colo & amplector: ſed non tam peregrinas, & hactenus inauditas notationes ex ea eruendas duco: niſi forſitan ille ex iiſdem omnium politiarum, humanarúmque ſocietatum euerſionem inferendam eſſe nobis perſuadere velit. Neque verò ad ſolius Scotorum Reginæ de-

Seditioſus iſte in ſucceſſione regia nullius iuris humani, ſed ſacræ ſcripturæ tantum rationẽ habet.

trimētum, ſed ad cęterarum Principum etiā omnium incommodum pernicioſam eius ſententiam vergere: adeò omnibus conſpicuum eſſe arbitror, vt pluribus ea de re agere ſuperfluum eſſe iudicem. Sed quandoquidem nobis inferre velit, vt omnes Politias, humanáſq; ſocietates euertat, (neque enim ad ſolius Scotiæ Reginę detrimētum pernicioſa eius ſententia vergit: ſed etiam ad cæterarū omnium.) Cumque ſacrarum ſcripturarū interpretationem ſibi ipſe aſſumpſerit: mihi quoq; tantundem iuris audacięque concedendam eſſe puto: vt hac poteſtate ęqua lance perpenſa, paribus armis certamen inire poſsimus. Locus autem Scripturę, quem pro fundamento ſuo adducit aduerſarius noſter, hic eſt: CONSTITVES EVM REGEM SVPER OMNES, QVEM DOMINVS DEVS TVVS EX FRATRIBVS TVIS ELIGET: HIC ERIT REX INTER ILLOS. Ex quibus ſacræ Scripturę verbis admirabilia quędam paradoxa depromp ſit: & in primis quidem, Reginam Scotię à ſucceſsione repellendā eſſe, eò quòd alienigena ſit, & non ex fratribus: & ideo non à Deo electa. Quibus addit, Regem talem eſſe debere, quem populus ita affari poſsit, ſicut Dauidem Regem Iſraëlitę: Ecce os tuum, & caro tua nos ſumus, eiuſdem ſumus nationis & ſanguinis. Denique meritò Athaliam Iſraëlitarum Reginam, regni adminiſtratione priuatā cenſet, eò quòd eſſet alienigena, maternum genus ducens à Tyrijs & Sydonijs. Atque hę quidem ſunt in vniuerſum viri huius ex ſacrę Scripturę voluminibus collectę authoritates. Ex quibus ſanè omnibus nihil omnino

Fœminarum adminiſtratio maximè ex Deut. 17. cap. oppugnatur.

2. Samuel 5.

2. Reg. 11.

Argumẽtum ex 17. Deut. refellitur.

adfert, quo demonſtret Reginam Scotiæ quaſi alienigenam, iure, propria ſua hæreditate priuari ac ſpoliari deberi. Et vt ad propoſitas theſes reſpondeam: in primis autẽ ad locum è 17. Deuteronomij citatum, è cuius ſeuſu huiuſmodi adminiſtrationis formam, quæ per ſucceſsionem hæreditariam in regnis obſeruatur, conuellere nititur: non equidem aſſerere vereor, antiquis Iudæorum cæremonijs, iudicijs, aut alijs quibuſcunque inſtitutis, vel præceptis (Decalogũ ſemper excipio) parere aut morẽ gerere, nulla nos vlteriùs ratione teneri, quàm ab Eccleſia vel politia ciuili denuò conſtitutum atque præſcriptum fuerit. Et licet ijs obſtricti eſſemus, nihil tamen quod ad huiuſmodi theſeon confirmationem faciat, ex hoc loco elici poteſt. Nam intelligi debet, cùm à populo Rex ſit cõſtituendus: ſed locum non habet, cùm iure hæreditario & perpetua ſucceſsione, aliquis in regnum ſubſtituitur. Qui quidem mos inter ipſos Iudęos regnante etiam Dauide, iam inualuerat: quamuis ipſe & rex quoque Saul, qui illum pręcedebat, Dei ac populi conſenſu, regni faſces adepti eſſent. Fateor quidem Principis electionem iuxta Dei Opt. Max. decretum fieri debere: non tamen ex eo colligendum arbitror, alienigenam ad regni gubernacula non eſſe admittendum. Principis quidem electio penes noſtram voluntatem arbitriúmque eſt: hanc vt ratio poſtulat, permittere poſſumus: ſucceſsio verò diuini numinis prouidentia nititur. Ibi rerum varietas ſpectatur, hîc autem quicquid Deus mandat, accipimus: ibi conſenſus palmam obtinet, hîc verò conſanguinitas tro-

Magnum inter ſucceſsionẽ & electionẽ diſcrimen oſtenditur.

phęum reportat: ibi nulla infertur cuivis iniuria, cùm alteri annuimus, & alteri reluctamur: sed hîc & Deũ simul & Magistratus à Deo constitutos grauiter offendimus: atque vt verè dicam, summi Dei instituta iussáq; violamus. Nam in priori euentu nos ipsi eligimus & ratione ac prudentia, eum, cuius personę dignitas, & rerum gestarum gloria prę cęteris elucet, cõstituimus: hîc autem, omnia discrimina, communiáq; omnium suffragia in Dei manu posita sunt. Nec minus est ius infantis in cunis vagientis, quàm illius qui idonea sit prouectus ętate. In ore vulgi percrebuit hoc prouerbium, CHRISTIANI FIMVS, NON NASCIMVR. Verùm in hoc casu Reges nascuntur, & nõ fiunt. Itaq; aduersus succesionem alienigenarum ab omni humanitate discrepãtia, iste, quę volet, inferat: interim tamẽ cùm nihil ex sacra Scriptura adducat, quod eorum succesioni aduersetur, operam suã egregiè se lusisse norit. Porrò, si Scotię Reginam alienigenam non esse ostenderimus, ecquid futilis & inanis conatus eius ęstimabitur? Verùm vt de exterorum succesione paulò fusiùs agamus, veritati consentaneum est, hunc sacrę scripturæ locum de alijs alienigenis intelligi debere: de huiusmodi nimirum, quales nunquam ex Iudęa, imò neque ex eorum genere aut tribu oriundi erant. Quippe quòd cum huiusmodi alenigenis matrimonium contrahere, illis vetitum fuit: ne videlicet idolorum cultoribus copulati, ad antiquos suos ritus & fidem (vt non rarò accidisse compertum est) deserendam, faciliùs adducerentur. Talem alienigenam Angli hanc Scotorũ

Aug. de mer. & remis. pec. cõtra Pelag. lib. 3. c. 8. & 9. t. 7. & in quæst. ex nouo testam. c. 8. tom. 4.

Reginam minimè existimare debent; si tamen aliquo modo alienigena censenda sit. Scoti enim & Angli Christiani sunt, & eiusdē pene insulæ incolę, eiusdéq; linguæ, necnon iisdem ferè moribus, consuetudinibus, ac denique legibus imbuti. Itaque hęc distantia inter Scotos & Anglos (quam innuit ille Moysi locus) nullo pacto hîc congruit: maximè cùm de D. Maria Regina Scotiæ agitur. Cuius, si tantùm benignitas, & erga Anglos beneuolentia singularis consideretur, vel ea sola experientia teste, satis momenti Anglis esse poterit, vt eam germanę loco habeant atque colant. Cum his insuper accedat, quod à vetusto priscorum Regum Anglię sanguine non minimam originis suę partem ducat, quam iam pridem & ante & post regni adeptionem ad nobilissimos illos magnificentissimósq; Principes, Henricum primum, Eduardum tertium, necnon hisce nostris temporibus ad excellētissimum Heroam Henricum 7. eiúsque filiam D. Margaretam auiam suam refert. Hęc igitur cùm beneuolentię argumēta, tum necessitudinis ac affinitatis vincula, quæ Serenissimæ Scotorum Reginæ cum Anglis intercedūt, eosdē compellunt, ac vi quadam tacita incitant ad eam amplectendam, non vt alienigenam, sed vt veram, natiuam, sibíq; iure debitam Principem: quę vt maximè iam cōmemoratis medijs destitueretur, ob natiuitatis tamen suę solum, quod Angliæ finibus vicinum est, eo nomine minimè censeri deberet. Postremò, quòd ad citatum Deuter. locum spectat, inania falsáque esse, quę inde colliguntur, contēdimus omnia: præsertim cùm simili

Regina Scotiæ alienigena non est censenda.

 pror

prorsus modo hęc imperandi lex, Regibus quoque nostris, in omnibus eidem parendi, vt antiquis illis necessitatem inducat: inquam omnia axiomata ex hoc loco eruta, parum aut nihil ponderis habere. Et sanè quemadmodum Deus neque illis hanc, neque vllam aliam certam legem ad constituendum Regem imposuerat, nec eis quoque vt id facerent, præceperat aut mandauerat: sic populus Regem postulando, Deum grauissimè offendit. Licet enim Monarchia legibus honestis confirmata & stabilita, Aristotelis, aliorúmq; quorundam Philosophorum iudicio, reliquis gubernandi formis pręstet, neque etiam Deo displicuerit: nihilominus nullum huiusmodi magistratum inter Iudęos esse voluit: sed sicuti ipse pro selecto, & sibi addicto populo omnes habebat, illósq; tum in deserto, tum in Iudæa, & post stupendum illum euentum, distincta quadam ab alijs gentibus gubernatione regebat (cui quidē administrationi par curatio difficilis erat inuentu) ita voluit sibi ipsi soli hunc principatum & monarchiam retinere. Ideóque haud leuiter profectò ipsis succensuit, cùm huius sui in illos principatus pertæsi, Regem instanter postulantes, Samueli loquens, Non te, inquit, reiecerūt, sed me, ne regnem super eos. Et deinde flagitium suum populus probè perspexit, cùm aiunt: Addidimus vniuersis peccatis nostris malum hoc, vt peteremus nobis Regem. Neque verò Deus eos Regem eligere iusserat, sed præuiso iam pridem per interminatam ac immensam suam prouidentiam eorum consilio (quamuis alienum esset à diuina sua voluntate) in eo, vt in multis rebus

3. Politico.

1. Reg. 8.

1. Reg. 12.

rebus, imbecillitati eorũ consuluit: & huic petitioni acquiescens, eos tunc etiam præmonuit, quòd si necessariò Regem habere cuperent, quem & qualem eligere deberent. Hoc ex verbis, quæ istam ab illo adductã sententiam (Constitues eum Regem super illos) coniunctim pręcedunt. Sic enim scribitur: Cùm ingressus fueris terram, quam dominus Deus dabit tibi, & possederis illam, habitaueriśq; in illa, & dixeris, constituam super me Regem, sicuti habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, &c. Quæ verba debuissent hũc locum illustrare, vafer ille tacitus prætererierat. Quapropter adducta hæc sacræ Scripturæ authoritas electioni alicuius Regis absolutè non confert. Neque etiam secunda, ad quam tanquam ad firmissimam anchoram confugit, ad stabiliendas suas theses plus proderit, tum maximè cùm legitimam alienigenæ successionem infringere conatur. Itaque satis superque huic loco Deut. mea quidem opinione responsum est, cætera obiecta multo minori cum negotio refellemus: Verbis enim illis iam priùs citatis, & à populo ad Dauidem prolatis idem populus significare volebat, quòd illi semen essent Abrahæ, Isaac, & Iacob, quemadmodum & ille, ideóque statuerũt illum synceris animis summum eorum principem agnoscere. Nam tunc temporis Tribus Iuda, è qua Rex Dauid ortus erat, illum tãtummodò quasi Regem, honore dignabatur. Deinde verò reliquæ tribus, quę anteà in partes filij Saül propendere videbantur, se eidem adiunxerunt. Quòd si diligenter attendere, & veritatem amplecti voluerit aduersarius hic

Ad obiecta ex Samuel. 5. respondetur.

hic noſter, abſque dubio Regina Scotiæ æquè os & carnem Regum & nobilium Principum Angliæ ſe affirmabit, vti ſeſe appellat iſte populus, os & carnem Dauidis. Aſt ingens ac ſtupendus ictus reſtat, Athalia. Etenim cùm illa per ſeptem integros annos regnum poſſediſſet, iure tamen ea, quòd alienigena eſſet, magiſtratu priuata fuit. Ex quo infert iſte, quòd liceat meritò Reginæ Scotiæ ius hac in re abnuere: quod ſi iam poſsideret, eo frui legitimè non poſſet. Agedū, ſi Regina Scotiæ alienigena non eſt habēda, vt modò diximus, quid obſtabit, quò minùs ſuccedat, rerúmque ſumma pacatè potiatur? Diſertis verbis tecum Athaliam imperio ſuo iuſtè priuatam fuiſſe fatemur: Sed prodeant in lucem, obſecro, authorum nomina, qui idem quoque ſentiant. Equidem nullum authorem, etiam ſumma adhibita diligentia, inuenio, qui vel huic ſententiæ ſubſcribat. Nam Ioſephus nonnihil huic ſentētiæ diſſona ſcriptis prodidit, nempe Athaliam ex parte tantùm matris, genus à Tyrijs & Sydonijs duxiſſe. Vnde illa hæc tua opinio nondum cum Ioſephi cōſentire videtur omnino. Verùm, cùm eorum numero ſit, quorum pectora felle virent, & linguæ ſuffuſæ ſunt veneno: qui primi, vt opinor, inter omnes Chriſtianos (nullum neque Latinum, neque Græcum, Iudæum vel Chaldæū, aut Arabem excipio, niſi fuerit mente captus, qualē Knoxium, aut ſui ſimilem eſſe apparet) abſurdis interpretationibus ſacræ Scripturæ locum, vt pleraque alia deprauarūt, omne acerbitatis virus aduerſus legitimam Principum fœminarum ſucceſsionem euomentes, eadem prorſus

Ioſeph. Iud. antiq. lib. 9. cap. 6.

ratione, primi (& quidem meritò) inter omnes Theologos, aut legis peritos in vniuerso terrarum orbe, huius inauditæ sententiæ authores haberi volunt, quę Regum filias, quarum parentes eiusdem municipij aut nationis non sunt, alienigenas constituit. Veluti exempli gratia, si eueniret vt Gallorum aut Hispaniarum Princeps, ex Anglia fœminam matrimonio sibi coniungeret: vel si Angliæ Rex pariter in Gallia aut Hispania, aliáue regione eductam sibi asciscceret, eorũ liberi, noui huius Lycurgi arbitrio, alienigenæ nomen sortientur. Quod quidem iudicium de cęteris quoque nationibus faciẽdum. Nam qua quęso, alia ratione Athaliam alienigenam fuisse probat, nisi quòd maternum genus, sua quidem sententia, à Tyrijs & Sydonijs ducens, alienigena extiterit? Rex Achas, huius Athalię matrem, Regis Iehobal filiam, vxorem habuit. Ista igitur Athalia, (quam Iosephus Gotheliam appellat) Achas filia, Ioram Regi Iudę nupsit, cuius Athalię frater, Ioram quoque appellabatur: qui in regno Israël demortuo patre, succesSit. Itaq; animaduertere licet, istam Athaliam nõ magis alienigenam inter Iudęos fuisse, quàm Rex Edbaldus, cuius mater Bertha è Gallia orta erat: aut Rex Elberthus, primus Anglorum Regum Christianus: vel nobilis Rex Eduardus tertius, qui matrem habuit Gallam: non magis, inquam, quàm est Regina Maria, aut huius Reginæ partus, si fortè quis ex Hispaniarum Rege susceptа fuisset. Neq; verò ignoro eius asseclas omnibus persuadere velle, Reges, Stephanum, Henricũ 2. & Arthurum nepotẽ Richardi primi, alienigenas fuisse

Recens & absurda Alienigenæ interpretatio.

Ioseph. ca. 7 Athalia inter Iudæos non fuit alienigena.

ſe eóſq; rudes,ignauos,ac ſtupidos cenſendos fore, ſi cũ verſutis acutíſque eorum(ſi Dijs placet)ingenijs confe-rantur.Sed ſi iam percontarer,vtrùm hi Vlpianum Iu-riſconſ.de hiſce rebus verba facientem audire velint,il-lum fortaſſe parui facerent,mihíque ſuccenſerẽt, quòd virum Chriſtianæ veritatis ignarum,in arenam deſcen dere coëgiſſem. Quod ſi tamen fecero,neque conuitijs me quemquam inſectari,neque contra diuinũ verbum iniurioſum exiſtere velle quiſquã exiſtimet,cùm ciuilis politiæ gubernatio (modò diuinę voluntati non refra-getur)nequaquam Chriſti doctrinam euertat aut im-pugnet. Audiamus igitur, quem conſtituat Vlpianus alienigenam eſſe : cuius quidem quę hac de re memo-rię prodidit,verba hęc ſunt : Qui ex duobus campanis parentibus natus eſt,Campanus eſt : ſed ſi ex patre Cã-pano,matre puteolana,ęquè municeps Campanus eſt, niſi fortè priuilegio aliquo materna origo cenſeatur. Tunc enim maternæ originis erit municeps. Vtpote Ilienſibus conceſſum eſt,vt qui matre Ilienſi eſt, ſit eo-rum municeps. Etiam Delphis hoc idem tributum & conſeruatum eſt. Celſus etiam refert, Ponticis ex bene-ficio Pompeij magni competere, vt qui pontica matre natus, Ponticus eſſet. Quę quidẽ verba nihil planè pro illis faciunt, quin potiùs ijs planè aduerſantur : ſaltem, quod ad hui9 verbi explicationẽ ſpectat. Cęterùm,quia neque Vlpiani interpretatio, neque communis omniũ opinio rationi conſentanea, aut quicquid aliud, pręter ipſius dictionis etymum ex intimis ſacrę Scripturę vi-ſceribus erutum ipſis arridet,nos etiam hac in parte eo-

Quem vult Vlpianus alienigenam eſſe.

l. 1. ff. ad municipales.

Mat. 1.
Iosue 6.

rum votis satisfaciemus. Christus igitur recto tribuum ordine à Booz Salomonis progenie (vt constat communi sententia) ortum suum duxit: qui quidem Booz vrbem Hierico Iosuę tradidit: & iam hunc Booz exterúmne, aut alienigenam, & non Iudęum fuisse credimus? Id si existimemus, aut certè Christi genealogiam, & perpetuam Iudęorum successionem, qui Christum pręcesserunt, violare, & labefactare, ac infringere audebimus? Manifestum est Athalię matrē Tyriam fuisse & Sydoniam. Similiter & Ruth Moabita fuit, quæ tamē huic Booz nupsit. Iterum à te peto, nūquid Obed filius huius Booz, & Ruth habiti sint inter Iudęos alienigenę? Si admittitur illos non fuisse, idem profectò de Athalia censendum est. Si autem illos fuisse affirmas, authoritas sacrę Scripturę te conuincet. Nam ex isto Obed verè secundum rectam lineam Christum prouenisse nemo inficiabitur. Itaque si paulò vlteriùs progrediaris, tandem Regem quoq; Dauidem, cuius auus fuit Obed, imò & ipsum Christum alienigenam appellare non dubitabis. Atque sic facetè vos delusit Athalia. Inficiamur ergo Athaliam inter Israëlitas alienigenam extitisse: quapropter ea hæreditate alicui Israëlitarum debita, iure priuari non potuit. Neq; verò à regni gubernaculis remota fuit (vti sani consilij inops iste autumat) eò quòd esset alienigena: sed potiùs quòd post crudelē immanémq; nepotum suorum, è Rege Ochesia filio suo nuper à Iehu è medio sublato, procreatorū, cædem, fidenti audacia sceptrum Regium, quod ad nepotem suum Ioas pertinebat, sibi vsurpauerat: qui quidem

Dauid & Christus ab Obed filio Ruth originē traxerunt.

4. Reg. 11.

Cur Athalia regno priuata.

dem ſingulari Dei prouidentia & illius inſidias vitauit, & elapſo decem annorum curriculo, Ioiadæ ſummi Sacerdotis ope, regiam tandem dignitatem adeptus eſt, dignas illa rebus ſuis geſtis luente pœnas. Id quod ſatis conſtat ex eodem cap. ab aduerſario quoque noſtro in medium prolato. Quod ad propoſitam quęſtionem attinet, ſuperfluum fore exiſtimo, in recenſendis contrariæ partis opinionibus diutius morari. Funiculus iſte ſanè huic veſtræ lyræ non conuenit. Videamus potiùs, quo modo alter non minori, ſi ſaltem non priori diſtantia diſcrepans, conceptæ harmoniæ conuenire poſsit. In quo quidē verbum iſtud, EX FRATRIBVS, (vt eſt modeſtus) frater noſter miſerrimè torqueri videtur, vt id non ſolùm iuri & ſucceſsionis titulo Scotorum Reginæ officere, verumetiam quibuſlibet principibus fœminis, quæ vel vnquam fuerunt, vel pòſt alijs erunt in annis, ad Regiam dignitatem ex parte matris conſequendam, nocere plurimùm oſtendat. Etenim in theſibus ſuis ex hoc 17. Deuter. excerptis, de electione Regis, ait hæc verba, EX FRATRIBVS, ſexum maſculei generis mirum in modum denotare: alterum verò ſexum Ataxiam patriæ inferre. Idem quoque aſſerit paulò pòſt, cùm ait, hanc politicam legem, quā Deus Iudęis tulit, à lege Naturæ non differre, necnon adeò perpetuam eſſe, atque eſt ipſa Natura, quę & ab omnibus hominibus rationis participibus coli debet. Natura, inquit, hoc pręcipit, vt ſexus pręſcriptus alteri dominetur, id eſt, vir fœmina ſuperior eſt, eámq; regere debet. Sicq; nouę ac peſtiferę ſuę politię axioma his verbis

Friuola & ſiniſtra verborum, ex fratribus, reſtrictio.

bis concludit, palam profiteor Dei legem atque Naturę, imò ipsammet rationẽ, Reginę Scotię huiusmodi gubernacula meritò denegare, etiã si ad illud summis votis peruenire expetat. Quis, obsecro, vnquã existimasset rudem hunc hominem ac simplicem, sententiam huiusmodi christiano homine, & fraterna charitate indignam omnino, ex illo vocabulo, EX FRATRIBVS, expiscari potuisse? Quę si animaduerteretur, sufficiens satis foret ad perturbandam, labefactandam ac euertẽdam quietam ac legitimam successionem, seu hęreditatem omnium ferè totius orbis Principum: cùm ex ea aliam quoq; perniciosam propria sua authoritate Naturæ legem (Naturæ tamen contrariam) callidè imponere præsumat, sicq; suauem Dei pariter & Naturæ cõstitutionem corrumpere, deprauare, ac comminuere conatur. Interim tamen eo astu atq; prætextu res suas diuulgat, quasi sanctissima quædam oracula forẽt, quibus si nõ doctiores, incauti saltem perculsi, firmis ipsam solidísq; sacrę Scripturæ, quas pro libitu suo interpretabatur, rationibus atq; argumentis niti putent. Sed has qualescunque explicationes non summo tantùm digito ne tangi, sed diligentem earum excussionem veritatísq; indagationem institui debere, rei magnitudo postulare visa fuit. Et in primis quidẽ, quod ad Naturæ legem spectat (qua veluti bipẽni quadam ad euertendos tantorum Principum status vtitur) quot modis ipsa Naturæ lex sumi possit, paucis (licet pluribus id fieri debeat) aperiam. Lex Naturæ non tantùm propriè & communiter hominibus conuenit: verumetiã rebus omni

Argumento aduersarij à lege naturæ ducto respõdetur.

omnibus, quibus vita ineſt: ſicuti præclarè refert Vlpianus. Alia prætereà lex eſt, quæ Ius gẽtium dicitur, quod etiam lex Naturæ nuncupatur, eò quòd naturalis ratio vniuerſas nationes huic legi obſecundare ſuadet: nimirum Deum ritè colẽdum, parentibus obediẽdum, magiſtratibus parendum, quæ promittimus, vendendo, emendo, alijs multis contractibus prȩſtanda, vim & iniuriam à nobis repellẽdam eſſe. Arbitror equidem primum harum legum genus aduerſarium minimè intellexiſſe: ſed potiùs ſecundum, ſi modò aliquid ad rem dicere propoſuerit. Ex quo infero hãc aſſertionem, quæ iſtam legem cum Natura ſempiternam fore decernit, Naturæ aduerſam eſſe. Lex enim Naturæ, vel Ius gentium eſt, quod ſemper, ex quo populus aliquis, aut nationes extiterunt, fuit, quódq; in perpetuum perſtabit. Iſta aut nuper inuenta Naturæ lex, neq; eſt, neque vnquam fuit, nec in poſterum (vbi ratio locum obtinere poterit) futura erit. Sed munere noſtro probè perfunctos eſſe arbitramur, ſi aduẽtitiam ac nouam huiuſmodi legem infregerimus, penitúſq; pro virili noſtra parte memoriam illius deleuerimus, atque claris & perſpicuis argumentis declarauerimus, fœminas in illuſtrioribus terrarum orbis partibus regnare, ſceptra tuliſſe, eadémq; maximo cum honore, & Reip. vtilitate tutata fuiſſe. Quam rẽ quò meliùs aduertat Lector, eum ad antiquas hiſtorias reuoluendas committo: quȩ cùm ſint rerum olim geſtarum memoria illuſtres, in vniuerſis terrarum regionibus quõdam fœminas præfuiſſe, nobiſcum teſtantur. In Aſia quidem Arthemeſiam

l.1.ff.de Inſt. & iure. l. veluti l.ex hoc. l.omnis eod. Eſt enim hęc non ſcripta, ſed nata lex, quam nõ didicimus, accepimus, legimus: verũ ex natura arripuimus, hauſimus, expreſsimus, ad quam nõ docti, ſed facti: nõ instituti, ſed imbuti ſumus: vt ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela, aut latronũ, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. Cic. pro Milone.

Adminiſtrationis fœminę praxis in Aſia, Africa, & Europa. Solinus in collect. Plin.l 6.c. 10 Arian.lib. 8. geſ. Alex. Magni.

In Asia, Artemesia, Ada. Iust.li.1. Herod.l.1. Stra. l.16.Geogra. Iosep.lib.20 c.2. antiq. c 20.Eus.li. 2. c.12.Ruff. eccl.hist. lib.2. c.6. Cle.Alc. lib. 1. Stro. Strab.Geog. lib.14. Semiramis. Nicocris. Thomiris. Helena. Mammia. Atossa, Tac.lib.2.statim à princ.

siam,quę sepulcrum marito suo Mausolo adeò magnificum extrui curauit, vt inter septem totius mundi miracula numeretur. Necnon eius sororem Ada, quæ vi regno eiecta, ab Alexandro Magno restituta fuit, cum alijs in Caria regnasse ferunt. Pandæa quoque regio in India à mulieribus regebatur. Gubernationẽ prætereà Reginę Semiramis & Nicocris in Babylonis imperio, necnon Thomiris inter Mesagites, summæ laudi ac ornamento illis fuisse, veterum scriptis traditum est. Iosephus Helenam Adiabenorum Reginam fuisse cõmemorat. Eusebius Mammię Reginæ Sarracenorũ mentionem facit. Atossa, prçclara bonarum literarum cognitione excellens, Persarum gubernatrix extitit. Perspicuè etiã constat illud, quod retulit Iustinus, de Astiage Mœdorum Rege verba faciẽs, olim in Mœdia mulieres, masculei sexus defectus in regni administratione supplesse. Erato etiã à Parthenijs in Reginam cooptatam fuisse legimus. Iam verò, vt de Asiæ Reginis finem tandem dicendi faciam, hos versus coronidis loco adscribemus:

Erato.

Claud. lib. 1. in Eutro.

> - Mœdis, leuibúsque Gabæis
> Imperat hic sexus, Reginarúmque sub armis
> Barbariæ pars magna iacet. -

In Africa, Dido, Cleopatra, Isis. Strab.l.12. & 17. Iust.l.18. Diod.Sic.l.1 ca.2.& 4.19.

Sponté nunc Iudęam omitto, qua tanquam singulari subsidio ad diruendam penitus vanam ac friuolam viri istius sententiam in verbi huius, FRATRIBVS, expositione vti possem. In Africa sanè Didonem Reginam Carthaginis, Cleopatram Ægypti fuisse antiqua testantur monumenta. Primus AEgypti Rex Osiris fuit, quo absente Isis vxor ipsius, regni gubernacula

sustinebat

ſuſtinebat. Totam verò Aethiopiam magna cum prudentia, politia, & ordine gubernabat mulier quædam, cuius nepos extitit Chriſtianus, magnificus ſanè Princeps, qui & permultos Reges victas ſibi manus dare cõpellebat. Colligimus ex veteribus hiſtorijs tẽpore Chriſti, & ante illius etiam natiuitatem, gentem hãc nullos alios habuiſſe Principes, quàm mulieres, quæ omnes vno nomine Candaces appellabantur. Quarum vna circiter paſsionem Chriſti regnabat, è cuius domo quidam apprimè nobilis à Philippo Diacono Chriſtiana veritate imbutus eſt. Cuius tandem ſuaſu Regina ipſa cum tota familia Chriſti nomen doctrinámq; profeſſa eſt. Itaque hanc Regionem primùm religionem Chriſtianam amplexam fuiſſe tradũt. Quod etiam Prophetæ Dauidis ſententia cõfirmare videtur: Aethiopia præueniet manus eius Deo. Inter omnes tamen Romano imperio ſubiectas prouincias, primas ſibi ob Chriſtiani nominis agnitionem nobilis Britannia iure vendicat. Præterea inter Teneſios & Sobrites mulieres præcipuos magiſtratus occuparunt. Inſignis illa mulier, quæ Salomonem, ſapientiæ eius fama commota, inuiſerat, Regina fuit Sabæ, eámque Ioſephus Reginam Aethiopię & Aegypti nuncupat: cuius dominatio omnium Europę Principum potentiam longè ſuperabat. Quod quidem à verbis ſacræ Scripturæ non multùm diſſentire videtur. Inde enim naues Salomonis (vt eadem refert) tertio quoque anno maxima auri & argenti pondera in Iudæam tranſuexerunt. In Aphrica præterea quoddam hominum genus inuenio, nomine Buaoi, vbi viri

Dam. Agoes de mor. & fide Æth. Beda ca. 2 in act. apoſt. Euſ. l. 2. ecl. hiſt. c 2. Plin. lib. 6. c. 29. Strab. li. 17. act. apo. c. 8.

Cãdaces Regina Æthiopum.

Æthiopia primũ inter oẽs prouincias fidẽ Chriſtianam amplexa eſt: verùm inter prouincias Romanas Britãnia prima fuit, q̃ fidem Catholicã admiſit.

Doroth. de vita & obitu Proph. & ap. Hiero in ca. 52. Eſa. Hila. in pſa. 67. Euſ. l. 2. ca. 1. Sabel. Strab. lib. 16.

Teneſij & Sobrites à mulieribus regũtur.

Regina Sabę 3. Reg. 10. 2. Paral. 9. Matth. 12. Luc. 11. Ioſep. Iudai. antiq. lib. 8. ca. 22.

Naues Salomonis aurũ ex Cephalia trãſuexerũt.

viros, fœminas verò fœminæ tantùm regebant. Qui tamen omnes populi non adeò in mulieres ſeueri erant magiſtri, vt earum administrationem naturæ contrariam (vt iſte imaginatur) exiſtimarẽt. Verùm, vt finem tandem huic vltimæ parti imponamus, Lucanum conſulere lubet, qui mulieris principatum nouum eſſe negat: vt ſatis declarant illius de Cleopatra Regina verſus:

Stob. 42. Ex Nicolao, de mor. gen.

Lucan. li. 10.

- Non vrbes prima tenebo
Fœmina Niliacas, nullo diſcrimine ſexus
Reginam ſcit ferre pharos. -

Regimẽ mulieris in Europa, Olympias in Epyro, Olimpias in Macedonia, Irenea, Theodora, Eudoxia.

In Europa autem, cuius nobis gubernaculi ratio notior aliquantò eſt, plurima huiuſmodi administrationis occurrunt exempla. In Epyro ſiquidẽ Olympiadem Reginam, Pyrrhi filiam regnaſſe accepimus. In Macedoniæ ſimiliter regno, mortuo Alexãdro Magno, mater eius Olympias etiam dicta, ſucceſsit. Imò & in ipſo imperio Conſtantinopolitano Irenea, Theodora, Zoë, & Eudoxia, & altera Theodora magiſtratus geſſerunt. Quin & hęc Theodora omnibus Legatis, qui ad illam mittebantur, ſola reſpondebat, & decreta in iudicio tã de publicis, quàm etiam de rebus quibuſcunque priuatis ipſa proferre ſolebat, cuncta pro votis fœliciter prudentérque adminiſtrans. Præterea Teuca Ilirienſium & Sclauonienſium fuit Regina, eiſq; pacatè imperauit. Quid de Hiſpania, Luſitania, Burgundia, Flandria, & alijs inferioris Germaniæ partibus dicam? Conradus Dux Franconiæ, & Heſsię Lantgrauius, Comitatu palatino Rhenenſi, necnon Ducatu Lotharingiæ potitus eſt, ob ſucceſsionis ius, quod ad vxorẽ illius Izmelgardem pertinebat. Is cùm vnicam tãtùm haberet filiam, eam

Zonaras to. 3. annal.

Plin. lib. 34. cap. 6. Teuca. In Hiſpania, Luſitania, Burgundia, Flandria, mulieres regnarunt.

eam Conrado Duci Sueuię nuptui tradidit, qui eam ob rem Comes Palatinus & Rhenensis factus est. Hic Cōradus filiam quoque habuit nomine Agnetem, quæ Henrico Duci Saxonię & Limburgi nupta, cū hac ratione Comitem Palatinum effecit. Idē de diuersis alijs Germanię partibus affirmari posse, Agnes Imperatoris Henrici 3. vxor, testis est locupletissima. Ea enim, filio suo Henrico quarto, nondum per ętatem ad imperandum idoneo, vniuersi imperij habenas diu moderata est, cùm nihilominus eius filius nō successionis iure, sed legitima electione Imperator creatus esset. Quid? nonne Mesa-varia, auia Imperatoris Heliogabali, & Alexandri Seueri, tum vel maximè, cùm antiquum illud Romanum Imperium floreret, Romę in Senatu grauissima Reipub. negotia tractabat, & quę decreta erant aut expedienda, suo chyrographo confirmabat? Addam nunc regnum Siculum & Neapolitanum in Italia: cui Noach (quē aliàs prophani authores Ianum dicunt) Cranam filiam suam Reginam præfecit. In eadem Italia Lauiniam post obitum Aeneę regnasse, memoriæ proditum est. Regnum denique Neapolitanum à mulieribus quoque, sed Reginis, administratum est. Cuius rei meminerunt Historię, cùm de Amalasyntha verba faciūt: quę post mortem patris sui, negotia Regis Theodorici, ac proprij filij sui Athalarici suscepit. Ista Amalasyntha mater fuit Almarici Regis Hispaniarū, quę tandem, mortuo ipso Almarico, Regis officio functa est. Quid? nonne Lotharingia, Mantua, Suecia, Dania, & Noruegia, à mulieribus regebantur? Nonne &

Agnes vxor Hērici ducis Saxoniæ.

Agnes vxor Hērici 3. Imperat.

Grana filia Noach.

Amalasyntha Regina Neapol.

Regimē mulierum in Lotharingia & Mantua, in

regnis etiam, Sueuiæ, Daniæ, Noruegiæ, Boemiæ Hungariæ, Scotiæ, Angliæ.

Boëmia, & Hungaria? Et vt ad nosmetipsos veniamus, nonne etiam Scotis fœmina nomen dedit? nonne Robertus Bruseus, & Robertus secundus Stuartus Scotorũ Reges, ius regni à fœminis acceperunt? Imò & Flãdris atque Anglis idem sępe contigit. Iam verò fœmineam successionem, quod ad imperium regni Anglię attinet, minimè nouam, aut Naturę repugnantem esse cõstat. Legimus enim in Anglorum Annalibus, Reginã Cordellam hęredem & filiam Regis Lyrę decimi, patrem à duabus ipsius sororibus regno iniuria expulsum, honorificè restituisse. Adhæc, circiter trecẽtesimum quinquagesimum quintum ante Christi natiuitatem annũ, Martiam Probam in puerili adhuc filij sui ætate, regni Anglicani gubernacula magnificentissimè rexisse, atq; leges aliquas, quæ adhuc hodie Martianę vocãtur, sanxisse accepimus. Affirmant quidam Historici tam nostrates, quàm externi, Helenam nobilis illius Constantini matrem, Britonem fuisse, necnon hęredem atque vnicam Coëli Regis Britanniæ filiam: ipsum quoque Constantinum ex Britannia oriundum fuisse minimè asseuerare dubitant. Certè Constantium huius Cõstantini patrem, in Britannia Eboraci diem suum obijsse, illiúsque inuictissimam ac nobilissimam familiam ibidẽ originem suam cœpisse, præstantissimi ac fide dignissimi referunt authores. Et non tãtùm tempore Helenę, sed etiam ante illam, mulieres cùm in bello, tum in pace immortalem sibi gloriam compararunt. Quid dico, compararunt? Imò ipsorum Britonum Duces, cùm aliquod bellum gerẽdum esset, erant fœminæ, vt Tacitus,

Martia proba.

Helena mater Constantini magni. Onuf. de Roma. princip. Budæus de vita Constã. lib. 1. lect. 7.

(ne alios cōmemorem) ſcriptis mandauit, qui hac de re loquens, ſic ait: His atq; alijs inſtructi Voadicea generis regij fœmina Duce (neque enim ſexum in imperijs diſcernunt) ſumpſere vniuerſi bellum. Satis iam dictum ſit de Henrico 2. qui iure materno regni Anglicani ſceptra adeptus erat: qui quidem Rex vxoris ſuę nomine, Aquitaniæ Pictauiíque Ducatum obtinuit, ſicuti feciſſent etiam ipſius ſucceſſores (vt paulò antè declarauimus) niſi Rex Arthurus Ricardi nepos, immani Regis Ioannis crudelitate, ſine ſucceſsore è vita migraſſet. Et quam ob rem, quęſo, regni Anglię Reges, Gallorum Regum inſignibus ac titulis gaudent, niſi propter ius illud, quod Regi Eduardo tertio ex parte matris ſuę Gallorum Regis filiæ obueniſſe affirmãt? Et licet Galli exiſtiment ſe meliorem partem elegiſſe, eorum tamen lex, inueterata quædam cōſuetudo eſt inter illos, vt ipſi aiunt: non quòd hi (vt ille) arbitrantur imperium mulieris Naturę contrarium eſſe: nec minùs ſanè alienum, quàm fuerat caput illius iuuenis ab humeris ſeparatũ, qui vniuerſis quaſi ſpectaculũ aliquod in publicis nundinis D. Bartholomęi nuper Londini peractis, propoſitus fuerat: multiq; illud quorum oculi cùm mentis tum corporis obſcuris tenebris inuoluti erant, tanquam veriſsimum aliquid eſſe videbãt. Quemadmodum enim caput illud nunquam ab humeris auulſum erat, licet artificiosè ita accommodatum foret, vt amputatũ prorſus videretur: ſic vos tenebras nobis offundere cupitis, vt cæcutientes quodammodo ita mulierum regimen & Naturam inter ſe differre exiſtimemus: vt nulla pe-

Voadicea.

In vita Agricolę.

Henricus 2. titulo matris ſuę factus eſt Rex.

Vide Aligeneal. 1561.

Galli regimẽ mulieris naturę contrarium eſſe nõ aſſerunt.

nitus inter hæc duo conuenientia esse queat; cùm certè Galli nunquam adeò à vero auersi fuerunt, vt hoc mulieris imperium vel Naturæ, vel Dei verbo repugnans esse affirmarent. Nam si hoc sentirent, profectò nõ tam diu & toties fœminas sibi imperare paßi fuissent, cùm adhuc eorum Reges idoneam gubernandi ætatem nõ attigissent. Quid? nonne Adelam Regis Philippi, & Blancam D. Ludouici matres, Francisci quoque Regis nuper ad Pauiam ab hostibus in bello capti matrem, necnon plerasque alias loco Regum habuerunt? Quod sanè ab illis præstitum esse egregiè, quibus prædictas Adelam & Blancam ob bene administratum regnum cumularunt, laudes, satis supérque testantur. Et quamuis titulo quodam generali sanciuerunt per politiam quandam, nullam admittere alienigenam, quæ regnãdi potestatem in illos haberet, nihilominus tamen in hũc vsque diem ipsi beneficio cuiusdam mulieris, Ducatu Britanniæ, optimísque alijs permultis posseßionibus, quæ ad mulierem ritè pertinebant, potiuntur. Qua etiam ratione Ludouicus Delphinus ad regni Angliæ fastigium, tantùm vxoris suæ iure, aspirarit, superiùs demonstrauimus. Ex quibus omnibus dilucidè (ni fallor) declaratum est, hoc genus administrationis nequaquã Naturæ refragari, argumentis ad id conuincendum ex antiqua Asiæ, Aphricę, & Europæ cõsuetudine petitis. Sed vt nihil, quod perfectam huius rei probationẽ concernit, prætermittatur, audite quęso, vnum aut alterum ex versibus Poëtarum omnium facilè principis Virgilij:

Adela mater Philippi Regis, & Blanca D. Ludouici mater. Vide præfationem prædicti fœderis

Galli principatus iure mulierũ obtinuerunt.

Cõclusio cõtra aduersarios de lege Naturæ.

Filius huic fato Diuûm, prolésque virilis
Nulla fuit, primáque oriens erepta iuuenta est:
Sola domum, & tantas seruabat filia sedes.

Virg. lib. 7. Eneid.

Verùm, vt quę latiùs hucusque à nobis disputata sunt quàm poterit fieri, breuissimè explicentur: ita mihi aduersum theses tuas concludendum esse existimo. Cùm inter legem consuetudine, diuturnóque vsu firmatam, atque Naturę legem vel ius gentium, nullum pene discrimen inueniri queat (Nam omnes populi, imò vniuersus terrarum orbis eo ipso iure vtitur) nullo pacto Naturę instituto aduersari aut refragari lex hęc dicēda est: cùm sit, inquam, omnis Pop. consensu permulgata atque stabilita. Quę cùm satis per se nota manifestáq; sint, tum etiam quòd rationibus argumentísq; iam allatis confirmari valeant, tantùm abesse colligemus, vt Naturę vllo modo repugnet, vt potiùs cum ea summa consensione congruere atq; conuenire statuamus. Ipsa enim Natura postulat, vt filia patrimonium, quod illi ex parte patris sui obuenit, habeat atque possideat: cui si fuerit aliqua dignitas annexa, ea quidem bonis paternis coniuncta censeatur, vt alterum ab altero separari aut disiungi minimè possit. Quòd si vero ex officio & obedientia, quam præstare tenetur fœmina marito suo, argumentum iste aliquod desumpsisset, nimirum, Sancitum esse lege Naturę, vt mulieres viris, quibus cū legitimi matrimonij coniunctionem inierint, pareant: atq; ab ijsdem se regi patiantur. Contra naturam itaq; fieri, si quando mulier viro suo aut superior esse cupit, aut videtur, cùm sit eius vxor: tunc sine vlla cōtrouersia secundum rationem, Scripturam sacrā, atq; Naturæ ordi

Vxor potest aliquomodo marito suo superioresse.

dinē progressus esset. At si sic tantùm inferre conatur, eas nullo modo posse marito suo superiores esse, nugatorium planè conficiet argumētum: ac Sophistarū more res natura sua diuersissimas confundere tentabit. Præceptoribus morem gerere, ac parentibus obtemperare puer debet: qui illius, etiam si sit Princeps, corripiēdi corrigendiq; potestatem habent. Attamen huic puero, authoritatem suam in præceptorem per magistratus exercere licet: imò & in parētes, si res ita postularet: sicuti Eduardus confessor, & Eduardus tertius Anglorum Reges, in proprias suas matres fecerunt. Idem dici potest de marito & vxore. Vxor enim etiam saluo suo honore, & debito officio erga Deum & cōiugij fidem, mariti sui incontinentiā coercere iure potest, si aliquod emolumentum Reip. inde accessurum spes affulgeat: neque propterea matrimonij pactum, quo mulier viro suo pręclarè tenetur, violaret. Sed aliud quoq; argumētum vanitatis, ne dicam mendaciorum, refertissimum profert: in quo asserit, imperium mulieris nūquam ferè sine Ataxia, id est discordia, consistere posse. Inficiari nolo, nonnunquā ita vsu venire: sed hoc perpetuò contingere constanter pernego. Conferatur simul vtraque hæc gubernatio, & æqua lance perpendatur, absq; dubio perspectum erit imperium mulieris potiùs (quòd pauciora longè incommoda secum adfert) quàm viri laudandum & amplectendum esse. Sed Deus bone, quàm absurdum est & periculosum, tam temerè & inconsultè de Principum iure & authoritate conijcere? Verùm hæc missa faciētes, ad eius interpretationis suæ

caput

caput, quo se sacræ Scripturę lorica munitum, facillimo negotio ictus nostros retardaturum gloriatur, accedamus: vt quibus tandem propugnaculis nitatur, planius innotescat. Vetitum ergo (inquit) erat Iudæis, ne Regẽ eligerent aut constituerent, nisi ex fratribus esset: Reginam igitur ex sororibus habere prohibemur. Sed huic quoque obiectioni abundè satis ex superioribus nostris dilutionibus satisfieri posse arbitror. In primis namque ostẽdere conatur huic legi omnes principes obtẽperare debere: sed grauissimũ onus suscepit, cui quidem ferendo nec humeri, neque vires eius pares esse poterunt. Quod cùm probè animaduertisset, atque mox ruitura, collapsuráque ædificia sua perspexisset, ea firmissimo legis Naturæ fundamento fulcienda esse putauit. Sed hæc omnia (vt aliàs diximus) nihil aut parum, ad rem faciunt. Prætereà hæc secunda nostra responsio facillimo negotio suam thesim labefactabit, quæ tantùm liberam ac volũtariam Regis electionem proponit atq; permittit. Nos enim de natiuitate nunc & successione verba facimus, in quibus nullum habemus arbitrum, præter solum Deum Opt. Max. qui diuina sua prouidẽtia electionem nobis elargitus est: quam si inuertere nitimur, violatores diuinę ipsius voluntatis reputabimur. Verùm, omnibus hisce subsidijs relictis, quãtùm authoritatem hanc verba illa iuuare possint, videamus. Est masculini generis, Frater, & idcirco mulieres sub hoc vocabulo non comprehenduntur. Sed hoc tibi concesso axiomate, nonne ipsa sacrę Scripturę verba mulieres condemnabunt, cùm ait: Qui crediderit, & baptizatus

Quæ sequatur absurditas ex nimiũ seuera huius vocis, ex fratribus, interpretatione.

Mar. vlt.

 fuerit,

fuerit, hic saluus erit? Maximè cùm hæc loquendi forma non rarò in sacris voluminibus iteretur: veluti cùm dicitur: Beatus vir, qui non abijt in concilio impiorum. & cę. &, Beatus qui intelligit, & c. Hîc adde, quòd per hunc tuum canonem, mulieres octo etiam beatorum gaudijs priuabuntur. Verùm, nolumus diutius in vocabuli huius, FRATRIBVS, interpretatione inuestiganda immorari: hoc vnum saltem addemus, verbum hoc non tam strictis, atque tu facis, circunscribendum cancellis. Etenim non solùm in Scriptura sacra, sed in monumētis veterū authorū, sub hac dictione, FRATRES, continentur proles ex fratre prognatæ, atque etiam cognati ex duobus fratribus ortum suum ducentes. Abraham Loth nepotem suum, fratrem appellabat. Medea quoque nepotes suos, fratres nuncupabat, cùm his verbis sororem suam Chalciopem alloqueretur.

εἰ ἔτι τῆς ψυχῆς περιφρισέρω ἔπι παίδων
σῶν δειλῶν, οἱ δή μοι ἀδελφειοὶ γεγάασιν.

Similiter, sicuti in iure ciuili masculinū genus fœmininū cōplectitur, ita fit in verbo vestro, FRATRIBVS. Testis est Modestinus in hunc modum loquens: Tres fratres, Titius, Menius, & Seia. Paulus etiam & Titius fratres. Sceuola affirmat, quòd cùm aliquid in testamēto relinquitur fratribus, huius etiam participes fiunt sorores, nisi compertum fuerit atq; probatum, aliam fuisse voluntatem illius, ad quem pertinebat testamentum. Nunc autem cùm sic dicat sacra pagina, Fratrem tuum odio non prosequeris: Nihil fratri ad vsuram dabis: Vnusquisque fratrem suum cum misericordia tra-

Psalm. 1. & 4.

L. Lucius §. Quæsitum. ff. de Legat. 3. & ibi Bart.

Genes. 13.

L. 1. ff. de verborū signif. L. tres fratres ff. de pact. & l. Lucius fami. Ercis. Dicit L. Lucius. §. Quęsitum. Quæsitū est, an quod hęredes fratribus rogati essent restituere, etiam ad sorores pertinet. Respōdit, pertinere, nisi aliud sensisse testatorē ꝓbetur.

Leuit. 19.

ctet: Si frater tuus tibi inimicus mortuus sit, condona illi. Declinet vnusquisque fratrem suum, qui probæ vitæ integritatem non amplectitur. Qui odit fratrẽ suum, ambulat in tenebris, & multa alia huiusmodi. Nobisne licebit propterea sororem nostram despicere? illam ne fœnore affligemus? crudelitatem in eam exercebimus? vel si aliquid aduersus nos commiserit, nunquam, salua conscientia ignoscemus? quid? sororis nostræ societatem, tanquam sacrilegæ, aut excommunicatæ alicuius euitabimus? Nascetur profecto ex hoc tuo asserto ridiculus mus, cùm nunquã probare posis hoc verbo, frater, sororem, aut vocabulo Rex, Reginam in sacris literis excludi. Græcè, vna tantùm dictio & fratrem simul & sororem comprehendit: verũ in genere aliquod reperitur discrimen: Αδελφος, Αδελφή. Similiter Rex & Regina inter Latinos: & sicut apud Græcos Βασιλεὺς, Βασιλὶς, ita apud Hebræos Melech & Malcha, & Gallicè Roy & Royne, non multùm inter se differre putantur. Cùm igitur iuxta verã hominum interpretationem dictio ista, frater, vocabulum, soror, cõplectatur, vt patet ex sacra scriptura: & hoc verbum Rex, per vnius & eiusdem vocis significationem ac proprietatem Reginam comprehendat, non tantùm in sacra scriptura, verumetiã in alijs plerisque linguis, profectò mulieri quoque eam dignitatem tribuere debemus, quæ iure ad nomen illius pertinet, quæque illi, sicuti nomẽ ipsum conuenit. Tametsi autem in Regno Angliæ inter nomen Regis & Reginæ aliquantulum discriminis esse videatur, & antiqua Regni statuta non solùm omnẽ authoritatem

Deut. 23.
Zacha. 7.
Math. 18.
2. Thes. 3.
1. Ioan. 2.

Neque hoc verbũ frater, sororem excludit, neque Rex Reginã per aliquam scripturæ authoritatem.

Melech. Malcha.

ac potestatē in nomen Regis conferant, sed etiam omnem corrigendi puniendique facultatem tam in Reip. perturbatores & regni affectatores, quàm in legū transgressores eidē cōcedant: nihilominis tamē vniuersa illa priuilegia & iura, non minùs ad principem fœminam, quàm ad virum spectant: veluti ratum ac sancitum fuit ante illud decretum, quod pro maiori huius sententiæ declaratione editum fuerat. Non aliter sentimus de prædictis vocabulis, frater, & rex, quibus vtitur in eodē loco sacra scriptura. Verùm si aliquibus interpretatio ista scrupulum iniecerit, præstantissimum iurisconsultum Paulum adeant, & mox canonē, cuius paulò anteà mentionem feci, diligenter studioseque apud animum perpendant. Si inquit I. C. de interpretatione quæratur: in primis inspiciēdum est, quo iure ciuitas retrò in eiusmodi casibus vsa fuit: optima enim legum interpres, consuetudo. Aduertendum nobis est igitur, vtrùm in Iudæa & Ierusalem mulieres vnquam gubernatrices extiterint: & quomodo ipsi Iudæi hunc locum sint interpretati: vtrumne eorum sentētia sit eadem omnino cum hac aduersarij nostri opinione. Certè Iudæi nulla vnquam memoria huiusmodi interpretationem ediderunt, ab eo saltem tempore, quo Christiani cum illis consuetudinem aliquam inierunt. In primis quidem Fulco Comes Andegauensis, qui omnia fortunæ bona sua Gofredo filio suo, Henrici secundi patri, reliquit, sese ad Regem Balduinum secundum, Hierosolymam contulit, vbi cum Melysenda Balduini filia matrimonium contraxit, atque sic per illius Melysendæ ius, Re-

Anno Mariæ I. C. 2.

L. fi. ff. de legibus.

Iudæi nunquā hoc verbum interpretati sunt, quo iste noster aduersarius.

Fulco & alij Hierosolymitani Reges per vxores ad regimen peruenerunt.

gni Hierosolymitani imperium adeptus est. Salome quoque Herodis soror, in administrationem Iamniæ, Asoti, Phasilidis & Ascolaniæ successit. Quod profectò non leue argumentum est ad conijciendum, nunquam Romanos eius opinionis fuisse, vt tecum sentiētes, contra naturam fore arbitrarentur, si quando ciuili administrationi fœmina præficiatur. Recensere possem vxores Iohannis, Aristobuli, & Alexandri, quæ postquam earum mariti fato concesserant, diu Iudæis imperitarunt. De quibus earumque rebus gestis memoria, licet in sacra scriptura mentio nulla fiat: fide tamen sua, ob authorum grauitatem carere minimè debent, quam magnifacere debeamus. Neque nobis deficit sacrarum literarum authoritas, quin potius tanta eius copia abundamus, vt Deus ipse, cui cuncta, non tantùm præsentia, sed & præterita atque futura patent, huiusmodi peruersum genus hominum, quod cauillationibus suis leges & præcepta à se constituta deprauaret, aliquando exoriturum præuidens, improbitatem & malitiam eorum disertissimis responsis coarguisse videatur: quod etiam ipsa experientia quàm primùm docebit. Mulier igitur (si huic creduli esse volumus) omni principis & Reginæ honore dignitateque spoliabitur. Quî sic, quæso? nonne eodem Dei charactere insignita fuit mulier, quo & vir? Nunquid ne etiam Dei Opt. Max. maiestatem ipsam præ se fert mulier? An non vtrique benedixit Deus? Ecquid ne etiam vtrique potestatem dedit, vt dominarentur piscibus maris & volatilibus cæli, insuper & vniuersis animalibus quę mouentur super terram?

Ioseph. lib. antiq. Iud. 17. c. 13. Iosep. lib. 13. c. 10. & 20. Egesip. de excid. Hiero. lib. 1. c. 12.

vxores Ioannis, Aristobuli & Alexandri Iudæis imperarunt.

Genes. 2. & 1.

Quid tandem ipse per imaginem Dei significari putas? Nunquid arbitraris cum diuo Paulo hominem absque peccati macula fuisse creatum? Idem & de muliere tibi censendum erit. Quod si cùm his statuis, qui existimant imaginem dei summam Trinitatem repręsentare: nos eam (si res tã eximiæ Majestatis ita repręsentari potest) cum memoria, intellectu ac hominis voluntate conferemus: qui quidem intellectus, memoria, & voluntas non minùs existunt in muliere quàm in viro. Quid est quod viri harum facultatum ope assequi possunt, mulieres verò minimè? Si porrò doctrinæ atque eruditionis rationem aliquam habere volumus, inueniemus profectò mulieres, quę Musicæ, Astronomię, Philosophiæ, artis oratorię, Physicæ, Poësis, Iuris, Theologiæ, peritissimę fuerũt. Atossa Persarum Regina, de qua superiùs verba fecimus, prima modum scribendi epistolas inuenit. Aspasia ludimagistra fuit pręstantissima illius oratoris & ducis Periclis. Neque erubuit Socrates Diotinam audire. Filia Accursij ius ciuile publicè Boloniæ prælegit. Nonne Sybillarum authoritas nõ tantùm apud probatissimos & antiquissimos authores, sed etiam apud Christianos summo in pretio est? Paula quoque & filia eius Eustochiũ sacris literis eruditę fuerũt, sicut & aliæ quàm plurimę fœminæ, vt ex operibus D. Hieronymi perspici potest: pręter illas, quę illũ ętate pręcesserunt: quarum etiam idem fecit mentionem: qualis fuit prędicta Lispasia, Sapho, Cornelia, & Hyptachia, quæ nulli Philosophorũ suæ tẽpestatis cedere videbatur, imò in gymnasiũ Plotini, Platonísque scolam

suc-

Eruditæ mulieres.

Clemens. Alexandrin. Stromat li. 2. Plato in Meno. Socrates in simpatio. Plato. Albericus. L. Qui filiũ vbi pupill. Hieron. in præfat. in Sopho. ad Paulum & Eustoch. Tripart. lib. 11. c. 12. Diodor. Siculus. lib. 2. & 5.

ſucceſsit, vbi palam varias liberalium artium diſciplinas profeſſa eſt. Quid dicam de nouem Muſis, quæ literatę virgines extiterunt? Quænam ſcientiarum Dea, niſi Minerua dicitur? Quis artem plantandi & ſerendi adinuenit? nonne Mulier? Lubens hîc prętereo mulieres quaſdam nobiles Britanniæ de literis optimè meritas: necnon Cambram filiam Regis Belini, quæ leges interpretata eſt: à qua etiam leges iſtæ, quę Sycambricę appellantur, nomẽ ſuum ſortitas eſſe nonnulli ex Angliæ ſcriptoribus prodiderũt. Martiam probam fœminam, aliáſq; permultas tacitus hîc omitto, ſuperfluum exiſtimans prętcritorum memoriam renouare, aut externis exemplis recenſendis immorari, cùm abundè domeſtica ſeſe nobis ſuppeditent. Quod ſi nec his omnibus aduerſarij noſtri, quod ſemel in fœminas concepit odiũ, exſaturari poſsit, ſed vlteriùs adhuc virus ſuũ euomere cupiens, eas non ſatis firmo iudicio, conſilio, prudentiaque ad res ac negotia maximi momenti tractanda pollere contendat, Nos ita ei reſpondebimus: Si hæc illius obiectio põderis alicuiꝰ foret, vniuerſos Principes & Reges, qui nondum propter iuuenilem ſuam ætatem, ad regendum apti ſunt, excluderet, vel eos ſaltem, qui, vt diximus, cõſilij aut iudicij inopes ſunt, non aliter, atque fœminas repudiaret. Licet autem mulieres tibi infirmæ & debiles videantur, nihilominus tamen Romanorum Rex Numa, & magnus ille Monarcha Iuſtinianus, multique item alij ſuarum vxorum conſilia tã in publicorũ, quàm in priuatorum negotiorum deliberationibus, non ſine maximo Reip. emolumẽto adhi-

Illa Numæ coniux conſiliũque fuit. ouid. 3. Faſtorum.

Iuſtinianus multique alij principes plurimũ ſuarum vxorũ conſilijs in publicis negocijs vſi fuit.

adhibere minimè dubitarũt. Beneficio cuiuſdam Mulieris, inſignis ille Monarcha Cyrus mortis periculum ſemel effugit. Theodoſius etiam Imperator plurimum vxoris ſuę conſilio detulit. Theodolinda vxor Agilulphi Regis Lombardorũ, & Bertha vxor Regis Anglorũ Ethelberti, & Clotildis vxor Clodouęi Regis Gallorũ, fuerunt quaſi inſtrumenta poſt Deum, quibus hi Reges ad fidem Catholicam amplectendam, perſuaſi ſunt. Olim Lacedemonij omnium Græcorum prudẽtiſsimi, & Athenienſium etiam abſque quarundam mulierum conſilio iudicioque nũquam aut rarò actiones vel cauſas publicas dirimere ſolebant. Quam conſuetudinem veteres quoque Germani obſeruabant. Nec ipſe Socrates, neque Plato mulieres publicis negotijs tractandis ineptas iudicauerũt, modò forent ad ea munia ſubeunda idoneæ. Fatetur pręterea Ariſtoteles, mulieres Reip. Lacedemoniorum nõ parum profuiſſe: & quamquam idem Ariſtoteles viri gubernationem anteponat, non tamen mulieris authoritatem aut ius in adminiſtrando omnino improbat: ſic enim ait: Ἐνίοτε δὲ ἄρχουσιν αἱ γυναῖκες ἐπίκληροι οὖσαι.

Poſſem pluribus enarrare, quomodo præſtantiſsimas Reſpublicas ſingulari cum laude, dignitate, prudẽtia, politia, dexteritate, liberalitate, iuſtitia & miſericordia mulieres adminiſtrarunt, nec in re aliqua, quæ virum Principem decebat, muneri ſuo aut officio defuerint: ſed vereor ne aliquibus nauſeam pariat ille labor, maximè cùm hæc, quę dicenda eſſent, ex ſuprà citatis hiſtorijs, quas in medium velut maximi momenti

argu

Mulieres quædam authores fuerũt maritis ad fidem chriſtianam amplectendam.
Theodolinda.
Bertha.
Clotildis.
Iuſtin. Authen. vt Iudic. ſine quo qui ſuffrag. in prin.
L.C. de præſcript. quadriennal.
Hiero. Hallic. lib. 1.
Tripart. lib. 9. c. 31. Paulus Diacon. de geſtis lõg.
Beda. lib. 1. Ecleſ. hiſt.
Paulus Emilius lib. 1.
Plutarch. in comm. Numæ. & licurg. & in vita Ægidis.
Auguſt. de Ciuitate Dei, lib. 18. c. 9.
Plato & Ariſtoteles non reprobant omnino regimen mulieris.
Tacitus de morib. Germanorum.
Plato dialogo. 5. de Rep.
Politicorum libro. c. 7.

argumenta protuli, diligens & attentus lector manifestissimè animaduertere posſit. Porrò ſi nec hæc omnia, quæ modò allata ſunt, ipſius rabioſam peruicaciā compeſcere queant, ad alia me conuertam argumenta, quæ indubiè pertinaces ipſius cauillationes non leuiter retundent. Sed quid hoc quæſo, eſt, quòd te neſcio quid murmurantē audio? Etiamſi, ni fallor, ais, quę mox à te prolata ſunt, concederentur, maior tamē adhuc obex ſupereſt, qui mulieres à Rerumpub. gubernaculis arceat, bellicæ nimirum rei negotium, quod mulieribus nullo pacto conuenire poteſt. Euge, hanc ſanè quæſtionem omnibus ijs, quę hactenus allata ſunt, difficiliorē, magíſque arduam eſſe opinor. Verùm ſi ipſamet ſacra ſcriptura, ſicuti reliquas, ita hanc dubitationē diſcuſſerimus atque refellerimus, quid erit, quod vlteriùs dicas? Accipe igitur, nobilem illam Deboram, quæ omnem hanc inter nos controuerſiam dubiò procul facilè dirimet. Obtinuit enim illa (quod inficiari non poteris) præcipuum & ſupremum in populo Dei magiſtratum, ipſique deo grata admodum atque accepta fuit. Itaque ſolebat illa audire & examinare quaſcunque lites, controuerſias, & ambiguitates iuris, neque per alios huiuſmodi negotia peragebat, ſed ipſamet ſemper præſens rebus gerendis aderat. Hæc autem Prophetiſſa erat. Quæ verba accuratè perpendit Origenes, cùm ait, ſacram ſcripturam iſtiuſmodi loquendi forma minimè vti, de cæteris Iudicibus aut arbitris: niſi fortaſſe cùm maleuoli aut detractores aliqui (qualis eſt præpoſterus vir iſte) mulieris adminiſtrationi ſeſe opponerēt.

Debora Iudæorum extitit gubernatrix grata Deo & accepta.

Homil. 4. in. 4. cap. Iudic.

F Non

Non est operępretium iam Amazones, Zenobiam Palmeriorum Reginam doctrina ornatissimam, nec Artesiam Viraginem ignaui ac timidi Persi vxorem, aut Voadiceam, vel inuictā aliquam ex Reginis illis, quarum memini superiùs, commemorare. Vnica namque Debora, istarum omnium partes tuebitur. Iabin Chananæorum Rex populū Israëliticum propter scelera sua, Deo mirum in modum ipsi infenso, spacio viginti annorum summis calamitatibus & intolerabili seruitute afflixit. Habebat ille trecēta millia peditū, decem millia equitum ad prælium aciémque instructa: quadrigarum verò tria millia, quę erant instrumentis bellicis & sarcinis destinata. Magnanima ista Debora Barachum subito ad se vocauit, vt exercitum cogeret, &cum decem hominū millibus Sisaram Iabini Ducem aggrederetur. Qui cum sine Deboræ pręsentia nihil tentare vellet, Esto, inquit illa, vos egomet comitabor. Cùm autem ad pugnā iam instrueretur acies, Barachi & Israelitæ magnis aduersorum copijs perculsi, de recessu munito aliquo loco subeundo, in quo tuti esse, & aduersam belli fortunam effugere possent, cogitare cœperunt. Absit, inquit Debora, nolite vos in fugam conuertere: estote bono animo & constantes, laudem enim ex hostibus reportabimus. Interim aduersarios suos adoriuntur, quos statim grandine & ingenti pluuiarum vi obrutos viderunt, & ita huiusmodi tempestate correptos, vt aspectum omnem amitterent. Qui hoc pacto deuicti atque superati, terga hostibus suis dederunt. Ex quibus nonnullos fugientes interfecerunt Israëli-

Pollio Vepistus in vita Amel. Herod. lib. 1. Iusti. lib. 2.

Iudic. 4. Ioseph antiq. Iud. lib. 1. c. 6.

Insignis Deboræ victoria.

Iſraëlitæ, nonnullos etiam eorum equites ac quadrigæ comminuerunt. Neque verò putes velim, me ideo Deborã ſummis laudibus extollere, quaſi exiſtimẽ res bellicas æquè decenter mulieribus conuenire atque viris ipſis: non enim improbo Homericum illud, quo Hector vxori ſuæ reſpondens, egregiè ſanè ait:

Ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε
Ἱστόν τ' ἠλακάτην τε καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε
Ἔργον ἐποίχεσθαι, πόλεμος δ' ἀνδρέσσι μελήσει.

Iliad. 6.

Sed hæc à me dicta ſunt, vt ſaltem oſtenderem ad fœminas pertinere, non tantùm adminiſtrationis ciuilis aliorumque negotiorum procurationẽ, ſed eaſdem rebus etiam bellicis cùm ita opus fuerit, præfici & intereſſe poſſe. Hoc enim indicare videntur antiquæ illę & celebres cæremoniæ, quibus vtuntur ij, qui Reginas in earum creatione, gladio cingunt, & calcaria duo ad illarum calces alligant. Et quamuis iſtæ cęremoniæ ab eo tempore, quo regnabant Reges Eduardus Confeſſor vltimus, & Aluredus, tantùm introductæ ſint, & Regibus ſolùm conueniant, nihilominùs illuſtribus etiam fœminis principibus quadrare poſſunt, quibus illis in memoriam reuocetur, nefarios & ſceleratos, pro delicti grauitate, debita iuſtitia puniendos ac caſtigandos, necnon iniuriam ſibi ab hoſtibus illatam celeriter repellendam, eóſque armis ac viribus perſequendos eſſe. Quibus in rebus propoſitum ſibi quod imitẽtur exemplar, Deboram habent. Cæterùm hic Barac de quo modo mentionem fecimus, iuxta eorum omnium ſententiam, qui ſacram ſcripturam interpretati ſunt, Deboræ mari-

Ceremoniæ quibus vſi ſunt Angli in creatione ſuorũ Regũ. Vide ſpeculum Hiſtor. Rich. Caſtrenſ. lib. 3. c. 3.

maritus fuit; vnde colligere possumus debitum vxoris officium erga maritum minimè gubernationi & publico mulieris regimini repugnare. Nulla enim est administratio, quam mulier & suscipere, simul & sustinere non posit, cum singulari Dei beneuolentia, & maximo Reip. emolumento. Etenim cùm ipse maritus vnicum sit administrationis membrum, & subditus quodammodo hac in re vxori suæ, ritè potest ac debet mulier maritum suum admonere, & vti res postulat, acriter (quãdo aliter quàm par est, se gerit) arguere. Vides ergo Deboræ exemplo totam hanc tuam thesin, tanquam sacræ scripturæ penitus contrariã, tolli ac reijci. Neque verò magni momenti hæc obiectio erit, quam aliqui pro falsæ opinionis suę defensione in medium afferunt, dum aiunt istud singulare fuisse priuilegium, & aliud huic simile in sacris literis nõ posse inueniri, & idcirco minimè sufficiens aut satis validum, vt eo mulieris imperium legitimum ac tolerandum esse probemus. Si enim quod vos asseritis, valeat, proculdubio sequetur Baptismum vestrorum puerorum non esse legitimum, cùm de eo vix duæ in sacra scriptura authoritates reperiantur. Exulabunt etiam multa alia iura, cęremonię, & cõsuetudines tam ecclesiasticæ quàm politicæ, quarum nonnullæ vnici ad summum, nonnullæ verò vix vnici exempli testimonio comprobari stabilirique queant. Verùm, cùm vsus harum rerum non sit à sacra scriptura alienus, verisimile est, atque probabile eas fuisse, esse, ac in posterum obseruari posse. At non video quid obstet, quò minus Iudith aliud adhuc exemplũ adduci posit,

Vnicum in sacra scriptura exemplum sufficit.

Iudith. 13.

posit, quæ tametsi Rempub. nunquam administrauerit, id nihilominùs effecit, quod huiusmodi sexus naturam exuperare videtur, cùm insolenti ac elato illi Tyranno Holoferno viriliter & fidenter vitam adimeret: & certè non solùm animo excelso & virili prędita fuit, verùmetiam summis virtutum dotibus ornata, & ab vniuersi populi cœtu sapientissima iudicata. Itaque si hoc vsuuenisset, vt ad Remp. gubernandā sese aliquando contulisset, sequeretur profectò, ratione minimè reluctāte, gubernationem illius, non magis Reip. vtilem, quàm Deo acceptam, necnon naturæ simul & sacræ scripturę cōsentaneā futuram fuisse. Et licet hoc Deboræ exemplum ad labefactandā omnino illius obiectionem (qualicunque ea fuerit arte contexta) planè sufficiat, tamen vt funditus obstinatam illius peruicaciam perspicuis exemplis, necnon manifestā sacrarū literarū authoritate euellam, vnam aut alteram quęstiunculam mouere nō grauabor. Atq; in primis, quid si vir quispiā maxima rerum omnium copia affluens, nullo masculo hærede relicto, fatis concedat, nunquid ipsius filiæ sacræ scripturæ authoritate, huiusmodi bonis ac possessionibus paternis frui posint? Quòd si quis fortè hoc fieri posse negauerit, eum sacrę scripturæ verba facilè conuincent: si autē hoc nobis cōcesserit, alterum rursus Ἐρώτημα proferam. Si hæc hęreditas alicui administrationi ciuili magis vel minùs coniuncta fuerit (quod non tantùm imperijs, sed etiam ducatibus & alijs dominationibus euenire solet) vtrùm filia ea hæreditate priuabitur? Si eam priuari debere dixerit, certamē cum

verbis sacrę scripturæ conferet: si verò affirmarit hęreditatem quidem ad eam pertinere, ad alios verò ciuile imperium, tunc communi omnium opinioni, iudicio, & consuetudini aduersabitur absurda ac temeraria ista interpretatio. Quapropter aduersus istam opinionem ita pronunciare statuimus, vt decernamus imperium mulieris dignum esse, quod admittatur. Quam quidem nostram sententiam non tantùm exemplis, sed etiam disertis sacrę scripturæ verbis, constitutionibus, ac decretis iam dudum probauimus. Ex quibus omnibus abundè satis friuolis istis assertionibus vestris, quibus mulierum imperium naturę repugnans esse contenditis: necnon verbum illud, Frater, de Regis tantùm electione accipiendum esse, inaniter cauillamini, pro virili satisfactum esse arbitror. Reliquum nunc est, vt & nos tandem quid ex hac disputatione concludere velimus, paucis explicemus. Asserimus ergo neque præpotentis Dei Opt. Max. lege, neque Naturę, aut iuris, Sereniss. Mariam Scotiæ Reginam à succesione administrationis regni Anglicani repelli. Quòd si hîc rursum vociferētur atque obstrepant: Eius demum Regis naturam, naturale quoque & paternum subditis imperium polliceri, qui ex propria eorum natione ad hoc tantùm fastigium communibus suffragijs euectus fuerit: alienigenam verò contrà, si quando in Regem eligatur, hanc minimè de se spem præbere populo posse, quòd cum ingenium ab eo planè diuersum habeat, eius quoque gubernationem populi extranei moribus nequaquàm conuenturam omnes metuant: Nihil sanè aliud agere viden-

Ex sacra scriptura colligitur regimen ciuile in mulieres cadere posse.

videntur, quàm vt perpetuis cauillationibus atque calumnijs alienigenas onerent: quorũ in numero si Sereniss. ista Domina locum sibi aliquem vendicaret, nonnihil fortasſis ea ponderis haberẽt: sed cùm ea, vt mox demõstrauimus, auos proauósque suos longa annorum serie excellentisſimos Anglorum Reges numeret, ijs potiùs maledicta illorum competent, qui per fas, nefásque, excusſis legitimis hæredibus, vi atque tyrannide regnum occuparunt. Sed videamus, quàm leuibus argumentis (quacumque tandem prudentia sese pręstare simulent) in communem omnium rationem, naturæque legem insurgant. Si Principum filiæ alienigenę censendæ forent, aut dignę quibus tyrannidis nota inureretur, ijsque parentum suorum hęreditas denegaretur, insipienter profectò fecerunt ij Reges (non loquor tantùm de Angliæ, sed etiam de alijs plerisque regibus) qui natas suas exteris Principibus nuptui tradiderunt. Nam vbi illis pręsidio esse eásque honoribus afficere debuissent, regnorum ac prouinciarum hęreditate, quę illis iure suorum parentum obueniebant, priuassent: & quantùm ex aduersariorum nostrorum rationãdi modo percipere possum, tyrannidis nomine notassent. Quam sanè interpretationem arguit, imò reprobat ipsa Natura. Ea si quidẽ nobis dictat, & tacitè quodammodo persuadere conatur, & principem ei populo, à quo iam suam originem traxit, humanisſimum atque mitisſimum fore, & vicisſim eundẽ Principem huiusmodi populum beneuolum sibi ac obsequentisſimum admodum habiturum. Quodsi vnquã Angli in suis regi-

Regina Scotiæ Anglis non est alienigena.

bus experti sunt, non minora certè sibi & beneuolentiæ & humanitatis studia de Serenissima Scotorum Regina, omnium virtutum insignibus, præter sanguinis coniunctionem, quæ ipsi cum eodem populo intercedit, cumulatissimè ornata, audacter polliceri poterunt. Et certè non magis à Natura alienum est, vt talis Princeps, quæ genus suum ab antiquo Regum Anglorum sanguine duxit, Anglis imperet, quàm vt fluuij, qui ex magno Oceano eruperũt, in eundem rursum refluant, vt eleganter scribit Homerus:

Ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα,
Καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ νάουσι.

Hæc autem inter talem principem & populum cohærentiæ, amicitię, coniunctionis, mutuique amoris ac beneuolentiæ necessitudo, non magis naturę aduersari aut extranea dici potest, quàm illa, quæ est inter arborem & eius radicem, inter fontem & fluuium à fonte deriuatum, inter solem & solis radios: denique quę inter senem Auiam amore in liberos flagrãtem, & iuuenem eius neptem tenerrimè dilectam intercedere solet. Nec aliud nomen mihi occurrit pręstantius, quo nobilissimam Angliam appellem, quàm si eam Serenissimæ huius Dominę charissimam Auiam nuncupem: quam quidem ipsa Anglia (si singulari Dei beneficio tandem aliquando Regni gubernacula susceperit) non tantùm sui studiosissimam Dominam, sed etiam charissimam ac benignissimam filiam reuerâ experietur. Neque verò statuta regni Angliæ vnquã tales principes à successione regni sui probibere voluerunt. Cùm ea ob mutuũ

aliorum

aliorum erga alios beneuolentiæ vinculum minimè à Dei, naturæ, aut rationis legibus dissentiant: quibus tamen omnibus nihilominus impiè, iniustè & scelerate Reginam Scotiæ, quę ritè illi Deus, natura & ratio, necnon omnes pij Angli concedunt, isti priuare nituntur, dum aiunt eam alienigenam esse.

Atque hactenus quidem Reginę Scotię ius atque titulum perspicuis argumentis patefecimus, ac probauimus, aduersariorumque nefarios conatus, quantum in nobis fuit, represimus. Et cũ hæc quę leuiter tetigimus, eorum præcipua sint conuitia, reliqua vt nullius momenti ab omnibus flocci fieri meritò debẽt. Quibus tamen perfidi quidam homines, Reginæ Scotię famam, & honorem, atque etiã fœlicem huius vtriusque regni vnionem (faxit Deus vt ita eueniat) perturbare conati sunt. Fœlicem hanc coniunctionem appello, cùm non solùm inueteratam inimicitiã, capitale odium, acria & intestina bella, in quibus, plurimi hisce transactis seculis tam Angli quàm Scoti, mutuo sese vulnere confecerunt, extinguet: verumetiam, vtrũque regnum ad concordiam aliquãdo reducet, eámque stabiliet, & immortale decus his regionibus pariet, ita vt nulla lingua nostræ fœlicitatis vbertatem exprimere satis queat, nec quisquam reperiri posit, qui maiorem animi voluptatẽ desiderare ausit. Inueterata illa odia, & Scotis simul & Anglis maximè offecerunt. Nam Dani, dum hi intestinis olim bellis flagrarent, ex eorum ruinis amplissima retulerũt spolia. Quantæ quęso strages mille annorum spatio inter illos editę fuerunt? Tantæ proculdu-

Exhortatio ad Anglos & Scotos, vt ex duobus regnis temporis bellorúmque iniuria, tã diu distractis, consentientibus tãdem animis, vnum efficiant.

Maxima emolumenta in Angliã & Scotiam ex earũ vnione redũdare poterit.

bio, vt mœror & pietas ea meminisse horreāt. Et tamen neutra pars ex istis cruentis & propè ciuilibus bellis multùm fines suos in hunc vsque diem dilatauit. Angli enim pręter ingentem hominum multitudinẽ, nihil amiserunt: nec quicquam Anglis concesserunt Scoti.

Si hęc vnquam coniunctio (vt speramus) fiet, & si copulari in eodem regno cum fraterna charitate aliquando poterimus, sicuti iam vicinitate, idiomate, & moribus propè pares sumus, ita tunc immanes illæ cędes, quę hactenus hinc inde grassatæ fuerunt, haud dubiè cessabunt, & pace, quiete, rerúmque omnium abundantia tranquillè fruentur. Exteri quoque Principes nostri studiosi, florentibus nostris rebus gratulabantur: inimici verò magis magísque formidabunt. Ad hęc, fama, nomen, maiestas huius Albionis Insulę, in dies maiora incrementa capient, generosioréſque sibi eius incolę quotidie animos sument, nihil aut parum de capitalibus suis hostibus solliciti. Tum nos posteríque nostri, fructus huius exoptandæ coniunctionis admirabili Dei Opt. Max. beneficio, absque nostris sumptibus, aut violẽtia, truculentáue hominum cęde, colligemus, quos tantò tempore tot potentissimi, generosissimi, atque sapientissimi Principes, multis vigilijs, curis, armis, nec non tanta sanguinis effusione quęsierunt, sed minimè obtinere potuerunt. Pręterea pro votis nostris summa cum gloria, perfecta illa & integra Britanniæ seu Albionis Monarchia, sub serenissima & excellentissima Principe, ad tale munus subeundem maximè idonea potiemur. Quod non tantùm singulares & Re-

gię

giæ, quibus ipſa ornatur, dotes ac dignitates poſtulare, ſed etiam immaculatus ille & Regius Scotorum & Anglorum Regum ſanguis, tam ante quàm poſt regni Angliȩ per Gulielmum Normanum expugnationem, propè ſuo iure expoſcere videntur, imò id ipſum aliquando euenturum, priſci illi, excellentéſque Britanniæ Domini & incolæ diuino quaſi numine afflati, ſȩpius prȩdixerunt & conſtanter affirmarunt. Cuius rei veritatem ante omnium oculos, tanquam in tabula depictam, eiuſdem Reginæ genealogia, ſtemmatíſque ſeries ex Anglorum Regibus deducta proponit. Tunc denique eximium iſtud Regnũ ſeu inſula non Albion, ſed potiùs Olbion id eſt, fortunata, fœlix, & benedicta vocabitur. Quam beatam & optatam vnionẽ (vbi tandem contigerit) ſi nos ingrati neglexerimus, ſalutem, & ſummum noſtrum in terris bonum, benedictionem omnipotentis Dei nobis tam larga manu impartitam paruipendemus, imò & officium noſtrum erga Deum & Patriam noſtram, quam tanta Principe ac Domina dignatus eſt illuſtrare, negligemus. Cùm ex parte noſtra, nec excellentius quidquam, nec quod cum maiori gratia atque honore coniunctum ſit, exoptari aſsiduis votis à Deo quȩat. Vndȩ & tandem (quod omen Deus auertat) exiſtere poſſet, vt tot tantíſque beneficijs diuinis tam in nos, quàm in Remp. noſtram adeò affluenter collatis, ijſque noſtra ingratitudine atque pertinacia ſpretis, iuſtiſsimã Dei Opt. Max. in nos vindictam prouocaremus, qui iracundiæ ſuæ flagello, non ſolùm bella prioribus crudeliora excitaret, ſed etiam

ſeditiones inteſtinas, morbos, aliáſque inauditas calamitates immitteret, quæ fœliciſsimum huius inſulæ ſtatum depopularent, funditúſque euerterent. Quod vt horrendum auditu, ita ardentius ſummis votis à miſericordiarum patre ac Domino poſtulandum, vt in tot, támque peſtiferis malis, quæ vndique generi humano impendent, nos, patriámque noſtram pro ineffabili ſua bonitate clementer tueri atque prçſeruare dignetur.

FINIS.

Errata libri De ſucceſsionis Iure, ſic corrigito.

IN Epiſto'a ad Sacratiſs. Imperatorem fol. 1. pag. 2. lin. 33. pro mali lege nonnulli in titulo Epiſtolæ ad Sereniſsimam Scot. Reginam, linea 3. pro meis, lege ſuis. pagina 2. lin. 36. pro martis lege maieſtatis, pagina 3. lin. 5. pro omnio lege omnino.

In libro de titulo & iure fol. 2. in fine pro præcepiſſent, lege percepiſſent, fol. 11. lin. 13. pro cuiuſque, lege cuiuſquam. fol. 12. lin. 19. pro præſtringere, l. perſtringere. pagina 2. lin. 19 & ſi coniunge fol. 19. lin. 1. pro patrium, l. patruum, in eadem pag. lin. 18. pro vis, lege ius. & inferius pro regulus lege regulis. fol. 20. pag. 2. lin. 14. pro acquiuiſſe lege acquiſiuiſſe. fol. 21. pag. 2. lin. 22. pro vpud l. apud. fol. 22. pag. 2. lin. 24 pro conſuetutine lege conſuetudine fol. 23. pag. 2. lin. 27. pro gemina lege genuina. fol. 27. lin. 26. pro fuerint, l. fuerit. fol. 28. pag. 2. lin. 23. pro redditus, l reditus. fol. 46. lin. 14. pro auctenticas, lege authenticas. fol. 57. pag. 2. lin. 12. pro aucten-ticum lege authenticum.

In Paren. ad Angl. & Scot. fol. 2. lin. 12. pro vos lege vobis. fol. 3. in carminibus pro priorem lege priorum. pag. 2. lin. 12. pro impotens l. impudens. fol. 4. lin. 7. pro moderatur, lege derigitur. fol. 5. lin. 7. pro tanti Regem, tanto Rege.

Errata libri De auctoritate.

In Epiſtola libri De auctoritate, fol. 1. lin. 17. pro ſuum, lege ſuam, & lin. 18. pro auderent lege auderet. fol. 4. in carminibus lin. 8. pro iunctas, lege adiunctas. fol. 6. pag. 2. lin. 5. pro ſeuſu lege ſenſu. fol. 7. lin. 25. pro alenigenis lege alienigenis. fol. 8. lin. 23. pro poſtulantes lege poſtularunt. fol. 11. lin. 22. pro maſculei lege maſculini. fol. 12. lin. 23. pro regnare, l. regnaſſe. Et lin. 26. pro committo lege remitto. Et pag. 2. in carminibus pro Gabæis, l. Sabæis. fol. 18. pag. 2. lin 4. pro nihilominis, l. nihilominus fol. 24. lin. 22. pro rationandi, l. ratiocinandi, & pag. 2. in fine pro probibere, lege prohibere. fol. 25. lin. 12. pro fruentur, lege fruemur, & lin. 13. pro gratulabantur lege gratulabuntur, & lin. 28. pro ſubeundem lege ſubeundum, & in vltima pag pro depopularent lege depopularentur.